# CAROLI AUGUSTI KUHLII

NUPER PROFESSORIS P. O. ATQUE CHIRURGI PUBLICI LIPSIENSIS

# OPUSCULA ACADEMICA.

PRAEFATIONIS LOCO

PRAEMISSA EST

B. AUCTORIS MEMORIA.

SCRIPSIT

**D. IO. CHR. AUG. CLARUS.**

ACCEDUNT VIII TABULAE LITHOGRAPHICAE.

LIPSIAE

SUMTUS FECIT A. F. BOEHME.

1842.

# CAROLI AUGUSTI KUHLII

Phil. Med. et Chir. Doctoris, Chirurgiae in Acad. Lipsiensi Professoris Ordinarii

## Memoria.

---

Scripsit

*D.* IO. CHR. AUGUST. CLARUS,

Clin. Prof. Ord.

Editio altera.

Oratiuncula haec nuper a me recitata est in Anniversariis Kochianis, coram auditoribus scholae clinicae, quibus benevole se adiunxerat fautorum etiam, collegarum, amicorum numerus exiguus. Argumentum eius quin mihi et locus et tempus et res ipsa suppeditaverit, nemo dubitabit, qui non ignoret solennitatis illius rationem, in ephemeridibus publicis a me quotannis renuntiatam, et in huius etiam sermonis exordio breviter expositam. Quid enim Kochii, communis praeceptoris nostri, meritis, aliquoties iam a me celebratis, tam novum tamque grave momentum addere poterat, quam discipuli eius et successoris grata et honorifica recordatio? Ceterum pietas quoque et officium monebant, ut cuius vivi amicitiam coluissem, quem vitae comitem et muneris collegam coniunctissimum habuissem, eius mortui memoriam commendarem eiusque exemplum adolescentibus proponerem. Ut vero nunc emitterem hanc laudationem eamque programmati a me scribendo substituerem, non solum permovit me nonnullorum iudicium, qui, quod audivissent, lectione quoque haud indignum

censerent, sed aliae quoque, et ipsae per se satis efficaces causae valuerunt. Altera fuit, quod antehac a me iam editae essent vitae duumvirorum, haud minus de schola clinica Lipsiensi meritorum: ipsius Kochii [1]) nimirum et Hebenstreitii [2]), quibus si hanc tertiam adiicerem, haud ingratum hoc scholae fautoribus, maxime vero amicis et collegis Kuhlii futurum esse existimavi. — Alteram habui, quod ab Ordine nostro in hodiernum diem mihi imposita esset persona Kuhlii, qui in hac panegyri munus Promotoris suscepturus fuisset, nisi longiorem ei vitam fata invidissent. Absentis igitur imaginem quasi repraesentare et in praestantissimi viri rebus, factis, moribus, virtutibusque considerandis desiderii levamen quaerere, haud alienum ab hoc officio vicario videbatur.

---

1) Memoria Christ. Martini Kochii. Oratio, quam in fundatione Kochiana inauguranda habuit D. Io. Chr. Aug. Clarus, Lips. 1837 apud Fr. Chr. Guil. Vogel. 2) De omento lacerato et mesenterii chordapso, commentatio bipartita. Scripsit et orationem academicam, ad memoriam Ern. Beni. Gottlieb Hebenstreitii recolendam adiecit D. Io. Chr. Aug. Clarus. Lips. 1833 apud Adolph. Frohberger.

## Auditores etc.

Persolvendum nobis est hodie pietatis et grati animi officium sanctissimum, quo fungimur quotannis eo propensiore animo studioque, quod hodiernum diem quasi natalem huius scholae salutare consuevimus, qui nos moneret respicere in tempus praeteritum, rerum a nobis gestarum summam colligere, gratias Deo hominibusque pro beneficiis acceptis referre, animosque, in magnorum virorum exemplum intuentes, ad eorum imitationem erigere. Concelebranda enim hodie est memoria Viri, de rebus nostris et de omni republica meritissimi, Christiani Martini Kochii, qui primus post hanc scholam conditam magistri eius primarii munere functus est, et cuius vidua, quae post illius obitum novo coniugio se adiunxerat splendididissimae genti Keesianae, testamento legavit sortem, hac lege, ut ex eius usuris, ipso die, quo prior maritus obiisset, anniversario, 100 imperiales inter medicos adiutores [1]) huius scholae dividerentur, simulque acroasi

---

1) Muneri adiutorum hoc anno praefuerunt praenobilissimi iuvenes: Carolus Oscar Steinhaeuser, Geilsdorfio-Variscus, et Bernhardus Heil, Boclitzio-Lipsiensis, Medicinae Baccalaurei, qui virtutibus, quae in iuvene praecipuae habentur: pietate erga superiores, modestia, incorrupta fide studioque veritatis ardentissimo ita nobis probati sunt, ut exspectationem nostram non solum implerent, sed eandem etiam superarent, quique doctrina sua, dexteritate, prudentia, vigilantia consiliique maturitate aegrotantium commodis ipsique institutioni medico-practicae tam egregie profuerunt, ut muneris sui recte administrati significationem honorificam et gratiarum actionem publicam iis decerneremus.

latina, ab eiusdem moderatore habenda, dilecti coniugis virtutes et merita pio gratoque animo recolerentur. Cui munificentissimae legatricis voluntati ut satisfieret, deinceps ab anno h. s. trigesimo septimo, quo primum haec sacra nobis celebranda erant, dicendi argumentum quotannis elegi, quod non solum iuvenum animos ad literarum amorem fortius incitaret, sed Patronis quoque et Fautoribus huius scholae splendidissimis et amplissimis, qui praesentia sua hanc solemnitatem exornaturi essent, haud indignum videretur. Quare primo anno de vita et meritis beati Kochii disserui, et hanc orationem, quo firmius esset grati animi documentum, typis excudendam curavi, secundo scholae nostrae et nosodochii, quod hospitium illi praebet, incrementa, quae per Amplissimi Senatus Lipsiensis liberalitatem et munificentiam nobis contigerant, laudavi, tertio et quarto vero morborum, per hosce annos observatorum, indolem epidemicam breviter exposui. Hodie, quum denuo eligendum esset argumentum, quod et huic loco temporique esset accommodatum et recentissima scholae nostrae fata ac discrimina, quantum ea nunc attingere utile videretur, in animum revocaret, de qua re mihi dicendum foret, minime dubitavi. Verum enim vero non exultandi ac triumphandi, sed lugendi et pectora plangendi tristissima nobis hoc anno oblata est materia! Non florentem hodie et incolumem conspicimus hanc scholam, sed graviter afflictam, desolatam verissimoque ornamento suo et praesidio orbatam! Quis quaeso desiderii sit pudor aut modus tam cari capitis, ex quo animam immortalem ad beatas beatorum sedes evocatam esse confidimus? Summi enim ac praepotentis Dei voluntate et ineluctabili humanae conditionis necessitate factum est, ut acerba pariter atque repentina morte rebus humanis eximeretur: Vir Excellentissimus atque Experientissimus, Carolus Augustus Kuhlius, Philos. Medic. et

Chirurg. Doctor, Chirurgiae in hac literarum Universitate Professor Publ. Ord. et Ordinis Medicorum h. t. Decanus, cuius obitus, quamquam ipse et ea quum manu tum consilio ac doctrina gesserat et ad eos honores virtute pervenerat, ut abunde ad sui nominis gloriam vixisse videretur, nunquam tamen non immaturus et bonis omnibus luctuosus evenire poterat. Quandoquidem vero dominus et moderator omnium rerum, Deus, hoc nudum et fragile et infirmum hominum genus, humo excitatum, in humum rursus converti iussit, neque perpetuam hic nobis habitandi sedem, sed commorandi quasi diversorium concessit; gratias ei potius agere debemus, quod talem nobis virum dederit, quodque nos tamdiu eius virtute et familiaritate frui voluerit, quam iniquo animo ferre, quod eum, consumtis corporis viribus, tot molestiis et laboribus defatigatum, ex inquietis ac turbulentis huius vitae fluctibus ad illum, ut quidem spes firma est nostra, perpetuae quietis et beatitudinis portum reduxerit. Et sane quidem vita eius iactationis et periculi tam plena fuit navigatio, militia omni aerumnarum et laborum genere tam exercita, tamque inexhausta molestiarum undique succrescentium seges, ut ipsi saepe, non ut in ea diu maneret, sed ut ex ea feliciter et placide exiret, optandum videretur.

Natus erat Kuhlius anno praeteriti sec. LXXIV. die XXXI. mensis Iulii, patre Friderico Augusto, verbi divini apud Baalsdorfienses ministro, matre Charlotta Sidonia Ungebauera, quae in praedio, quod Puchaviae illi fuit, florentissimam felicissimamque senectutem consecuta, ibidemque XXIV. ante filium anno mortua est. Patrem vero quum amisisset puer quinquennis, in hac orbitate ei contigit affinitas et benevolentia Beyeri, sororis suae natu maioris mariti, ad aedem novam in hac urbe Diaconi maxime reverendi, qui eum religionis christianae et literarum initiis erudivit

tantamque in eo educando diligentiam providentiamque adhibuit, ut gratum erga illum animum non prius quam cum ipsa vita deponeret [2]). Anno seculi praeteriti LXXXVII. scholam Nicolaitanam frequentare coepit, a clarissimis in ea magistris ad omnem humanitatem institutus omnique benevolentiae genere ornatus. Emensis scholae spatiis, quum ea esset aetate, ut graviores disciplinas percipere posset, anno XCII. civis factus est Academiae nostrae. Erat in iuvene incredibilis amor artis medicae, a qua scientia neque multorum adhortatione, neque variis impedimentis ab ipsa sorore sibi obiectis, se abduci passus est. Tantum enim illa abhorrebat a rebus medicis omnibus, imprimis anatomicis, ut non nisi subdole quasi Anatomiae operam dare posset, et ne siccorum quidem ossium corporis humani, ad repetitionem Osteologiae necessariorum, domesticus usus ei concederetur. Eminebant illo tempore inter Professores Medicinae et luce splendoreque suo hanc Academiam illustrabant Platnerus et Hebenstreitius, quorum illum magnum rerum suarum fautorem, hunc vero, qui praeter Botanicen et Chemiam et Anatomiam, reliquas disciplinas medicas omnes tradere easque cursu trienni absolvere solebat, ducem studiorum habuit perpetuum. Anno XCIV. Baccalaurei, anno sequente A. A. magistri gradum et ornamenta adeptus est. Posthac, quum adhuc desideraretur in hac Academia institutio clinica rationalis, medendi modum in ipso actu et negotio didicit, duce Daehnio seniore, cui per quatuor annos minister ac socius adfuit. Tandem vero, quum, instantibus Platnero et Hebensteitio, anno XCIX. haec schola condita esset, praeceptores in ea habuit ipsum Kochium, cuius memoriam hodie recolimus, et Eckholdium, chirurgum dex-

---

2) Vid. Ern. Platneri Quaestiones medicinae forensis XXI. pag. 11.

teritate pariter atque experientia maxime conspicuum. Anno MDCCC., Trierae et Gehlerae, matronarum lectissimarum, liberalitate adiutus, Hafniam se contulit, ibique Callisenii, Winslovii, Todii et Saxtorphii disciplina usus est, et quum anno sequente proelium navale inter Anglorum ac Danorum classes prope urbem illam commissum esset, in nosodochio Fridericiano Schumacherum et Iacobsenium in curandis vulneribus et in operationibus chirurgicis instituendis adiuvit, hac vero primum occasione oblata, singulari Chirurgiae amore captus et incensus est. Lipsiam reversus, habitis recitationibus publicis, quae tunc temporis praemitti solebant alteri colloquio, anno MDCCCI. iterum apud Ordinem nostrum comparuit, et in severiore tentamine cum amplissima significatione probatus, posthac vero, d. XXXI. Mart. anni MDCCCIII., scripta ac defensa dissertatione de dysenteria, summos in arte medica honores consecutus est. Fuit autem tunc tanta illi rei familiaris angustia, ut, quum promotionis causa dissertationem suam, pro more consueto, cum praeceptoribus et patronis communicare et ad aedes eorum circumferre vellet, uti non posset carpento, sed pedibus ire cogeretur.

Mox vero, tribus aliis annis in honesta paupertate et immerita obscuritate peractis, lucida illi sidera ex inopinato affulserunt. Mortuus enim est anno huius seculi sexto Beyerus, sororis prius iam defunctae maritus, cui nuperrime e bonis relictis Trierae, sororis propriae et scholae obstetriciae nostrae fundatricis, larga haereditas obvenerat, Kuhliumque nostrum, quem, quum sine liberis esset ipse, ut filium suum semper amaverat, haeredem constituit. Dici vix potest, quanta tunc fuerit bonorum omnium, imprimis amicorum et sodalium communis laetitia, quum probum et modestum iuvenem, ex inopiae indigna servitute subito vindicatum, nunc primum liberius incedere et respirare et ad suum

arbitrium vivere conspicerent! Ipse eodem anno cum ornatissima virgine, IOANNA FRIDERICA, e gente GOLDHORNIA, matrimonium ingressus est, quod sobole quidem caruit, sed concordiae et omnigenae felicitatis fuit plenissimum. Cum hac dilectissima coniuge, sine qua nihil agere, cum qua consilia sua communicare, quam sociam et participem rerum suarum omnium habere consueverat, anno h. s. octavo Viennam profectus est, ut sub auspiciis celeberrimi BEERII ophthalmiatriam, cui tunc vitam impendere secum constituerat, ex ipso actu et aegrorum conspectu accuratius cognosceret. Sequente anno Lipsiam reversus, etsi magno ibi cum applausu exceptus esset et complures etiam operationes felicissimo cum successu peregisset, tamen qui satisfecerat omnibus, sibi ipsi nondum satisfecisse videbatur. Igitur anno h. s. undecimo iterum Viennam cum uxore migravit, ut suas observationes cum magno illo et egregio magistro communicaret et novas colligeret. Factum hic est casu, ut, quum atrocissima febri typhode occuparetur, in PAIOLAE, lithotomiae magistri celeberrimi, cuius in exercenda hac arte subtilitatem et dexteritatem magnopere semper admiratus erat, notitiam veniret adeoque amicitiam cum hoc viro seniore contraheret. Atque haec amicitia vitae KUHLII omni novum quasi impulsum praebuit et ad munera, in quibus posthac tam egregie promeritus est, viam ipsi aperuit. Lithotomiam enim, quae inter operationes chirurgicas difficillima et subtilissima haberi solet, per multa exempla viva et per assiduam et indefessam in cadaveribus exercitationem a PAIOLA edoctus, ad reliquas curationes omnes, quae scalpelli usum desiderant, se satis nunc informatum et confirmatum sensit iisque deinceps vacare secum constituit. Neque diu illi defuit hoc propositum persequendi et peragendi frequentissima, quamvis publicae saluti tristissima, occasio. Nam quum anno h. s. duodecimo sae-

vum illud bellum inter Napoleonem et Alexandrum Imperatores exarsisset, quod Europam universam in commune incendium rapuit; primum in nosodochiis militaribus opem praestitit sauciis, chirurgi primarii civilis locum tenens, sequente vero anno, postquam GEHLERUS, in hoc nostro nosodochio chirurgus, in flore aetatis, praematura morte occupatus esset, in eius locum successit, ab amplissimo Senatu ad hoc munus electus, ad officium vero demonstratoris chirurgici, quod cum hoc munere coniungi solet, ab Ordine Medicorum commendatus et a suprema, quae rebus ecclesiasticis et scholasticis tunc praeposita erat, curia confirmatus. Eodem tempore munus etiam chirurgi forensis et oppidani ei demandatum est simulque convenit, ut, absente medico forensi, huius quoque vices in se susciperet.

Interea ad annum aetatis quadragesimum pervenerat KUHLIUS, nihilque iam in rerum suarum conditione omni sive ad honeste sive ad bene beateque vivendum desiderari videbatur. Solutus erat curis nulliusque arbitrio obnoxius; libere utebatur bonis ad rei familiaris commoditatem et ornatam necessariis; fide et autoritate valebat apud collegas pariter atque cives. Nam quo maiori erat modestia, eo magis omnium animos erga se vidit propensos, et quo minus obtrectare studebat alios, eo magis crescebat artis honore atque fama, in qua tunc neminem habuit in hac urbe superiorem. Sed consistendi et acquiescendi in hac possessione sua hic nondum ipsi videbatur esse locus. Sursum enim, ultra mediocritatis fines, ferebatur vir eximius, non stimulo vanitatis incitatus neque levi quadam omnia complectendi et cognoscendi cupiditate, quae in multis, ut existit subito, ita subito senescit, impulsus; sed grata beneficiorum Dei recordatione, pio hominibus inserviendi studio, sublimi ad animi perfectionem talem, qualem pro viribus suis consequi posset, perveniendi ardore, optimo

cuique innato, in ipso vero nunquam exstincto et ad extremum usque vitae terminum nutrito et servato, permotus et confirmatus. Incredibile in eo iam dudum fuerat Angliam Galliamque visendi lustrandorumve celebriorum per illa regna nosodochiorum desiderium, ut summos ibi in arte sua magistros suis ipse oculis cerneret studioseque perspiceret, quid ab iis ageretur et quomodo. Iam porro differre propositi huius perficiendi tempus noluit. Igitur mense Aprili anni MDCCCXVI. Londinum profectus est, haec enim urbium in toto terrarum orbe, quum omni omnium artium doctrinarumque, imprimis chirurgiae, materia et instrumento maxime abundare, tum locupletissimis speciminum pathologicorum aliarumque rerum naturalium thesauris inspiciendis uberrimam discendi occasionem praebere, tum denique ingentibus aedificiorum, officinarum, machinarum operibus, templis, theatris, ipsius denique populi moribus, imperiique magnificentia et liberalitate propius cognoscendis, ad extollendum animum plurimum valere videbatur. Quo quum venisset, imprimis Astl. Cooper, Guil. Lawrence et B. C. Brodie benevolos ei officiososque se praebuerunt; quippe qui eruditum hospitem non solum in familiaritatem reciperent, ad scholas operationesque suas, oblata quidem gratiae loco pecunia, admitterent adeoque privatissima institutione et consilio adiuvarent, sed reliquorum etiam nosodochiorum praefectis eum commendarent. Iam nil attinet commemorare, quomodo hac egregia studia prosequendi et perficiendi opportunitate usus sit Kuhlius, ut longam discendi sitim restingueret, quos, quantosque labores susceperit, quae incommoda, quas molestias subierit, quippe quas, qui ipsi aliquando in simili causa fuerunt variasque difficultates, per immensam urbis amplitudinem oblatas, norunt, etiam tacentibus nobis facile aestimabunt. Neque tamen corporis extrema defatigatio et valetudo

saepe commota strenuam voluntatem impedire eumque permovere potuit, ut labores intermitteret, quippe quorum varietas etiam et mutatio occurrebat satietati et fastidio. Otium non eo impendebat, ut in omnia spectacula involaret, quod multi nunc faciunt, obtenta magis quam sincera linguae cognoscendae cupiditate, sed ad urbis, hominum, morum denique rerumque memorabilium cognitionem referebat. Sex mensibus Londini transactis, Lutetiam Parisiorum, tanquam ad incunabula chirurgiae, se convertit ibique mensem unum cum dimidio commoratus est, ut Gallorum etiam scholas percurreret et viros in arte praestantissimos salutaret.

Rediit tandem in patriam ineunte anno MDCCCXVII., exquisito instrumentorum chirurgicorum apparatu instructus amplissimoque rerum usu et experientia ad artem docendam institutus. Quare eodem anno Professor chirurgiae extraordinarius creatus ac designatus est, deinceps vere a semestri h. a. hiberno non solum quotannis chirurgiam omnem, systematico cursu, tradere coepit eamque demonstrationibus, quum in vivo tum in mortuo corpore institutis, illustravit, sed etiam seorsum de morbis oculorum disseruit et scholas examinatorias habuit magno cum auditorum fructu et eximio applausu, quippe quem grata saepius et honorifica significatione ei declararunt [3]).

Tandem anno h. s. vigesimo quarto, post mortem Ludwigii, Professor Chirurgiae Ordinarius creatus et in Medicorum Ordinem receptus est, in quo Decani munus gessit sexies.

Vox me citius vel dies deficiat, quam materia, singula si persequi vellem, quibus magnus ille, non doctrinae modo, sed virtutis etiam et probitatis magister de hac urbe eiusque

---

3) *V. Leipz. allgem. Zeit.* 1838. *d.* 16. *Aug. No.* 228. *Beil.* Reduci e thermis Teplicensibus epulae solemnes Dresdae a pristinis discipulis paratae.

civibus, de Academia nostra, de Collegis et Commilitonibus, de propinquis denique suis et amicis egregie meritus est. Fuit illi in omni officio suo incorrupta fides, sincera pietas, integra religio, quae quidquid agere parabat, ad supremam voluntatem exigere studuit, in negotiis praestandis et persequendis insignis cautio, prudentia, constantia, in iudicio ferendo sagacitas et circumspectio, in sententia dicenda veritas et moderatio, erga Collegas et amicos observantia, facilitas, indulgentia, comitas, erga Commilitones humanitas et animus affabilis, erga propinquos propensa et parata voluntas, erga egenos misericordia et liberalitas. Iniuriam neque facere ipse, neque eos, qui facerent, perpeti poterat. Integer erat vitae scelerisque purus, et si quid in eo vituperandum fuerit, hoc non vitio tribuendum videbatur, sed virtutis excessui. Aegrotantibus opem ferebat indefesso animo studioque, sed fesso saepe corpore et suae valetudinis ratione parum habita. Operationes chirurgicas peregit innumeras, in quibus dexteritatem cum cautione iungere studebat. Tuto enim cultrum administrare maluit, quam cito. Quare felicissimo plerumque in hac re successu ornatus est, imprimis in lithotomia, quam decies et quater et ultimum quidem octavo ante obitum suum die instituit.

Tacendum hic videatur de corporis eius infirma conditione, quam ipse miseram saepe appellare, sed dedito eam et patiente animo ferre solebat, nisi sperandum sit fore, ut malorum, quae pertulit, multitudo ad factorum, quae peregit, rationem et modum recte aestimandum aliquid valeat. Corporis enim habitu tenui fuit et gracili, nullo exercitationis genere confirmato, ideoque laxo et perquam plethorico, quo factum est, ut fluxui haemorrhoidali profuso et maxime molesto inde a iuventute sua esset obnoxius. Febris typhosa, Viennae superata (v. s.), capitis affectionem vertiginosam reli-

querat, gradatim auctam et passim quidem per sanguinis profluvium copiosum aut per interpositas venaesectiones mitigatam, sed usque recurrentem. Anno MDCCCXXVII. ex inopinato eum invasit aurium suspecta gravitas, quae dici vix potest, quanto illi quum in officio gerendo tum in vita communi impedimento fuerit ac taedio. Postquam haec, miro sane casu, post aliquot annos mitigata et propemodum depulsa esset dentium molarium eruptione nova, successerunt haemorrhoidum vesicae atrocissimi dolores. Anno MDCCCXXXVII., aestatis tempore, frigoris nocturni per fenestram apertam afflatu tactus, paralysi rheumatica brachii dextri affectus est, quae maxima quidem parte cessit iterato per annos MDCCCXXXVIII. et MDCCCXXXIX. thermarum Teplicensium usui, sed manus dextrae infirmitatem aliquam reliquit, qua factum est, ut instrumenta subtiliora, adeoque calamum scriptorium communem, digitis firmiter comprehendere non posset, sed crassiore manubrio uti cogeretur. Sic tamen adiutus non solum lente scribere valuit, sed operationes etiam chirurgicas graviores peragere non dubitavit.

Iam, crescentibus paulatim corporis viribus, animi quoque vigorem recuperare certiusque sibi confidere coeperat. En vero, die XX. Augusti anni MDCCCXL., postquam praeteritum diem consueto more degisset, et noctem etiam satis quiete transegisset, solito maturius surrexit et in vestibulum, incerto passu, prodiit uxorique advolanti et quid vellet interroganti torvis oculis et balbutiente lingua nihil, quod intelligi posset, respondit. In lecto repositus, venientibus medicis caput sibi dolere significavit et nunc iacuit quietus, immotus, stertens, sine sensu, certe sine sensus indicio. Remedia adhibita, quum alia, tum imprimis venaesectio, sinapismi, clysmata, nihil valuerunt. Sic vero, ut semel in lecto erat positus, ita per integrum diem et sequentem noctem,

dormientis instar, quievit ac tandem, profundo stupore demersus, d. XXI. Augusti h. I. pomeridiana tam placide exspiravit, ut frater fratri, somnus morti, eum tradidisse videretur. Quae mors, quo carior ipse nobis et quo utilior civitati vita eius fuerat, eo magis acerba et nunquam non importuna videri debebat. Obiit enim ab omnibus, qui coniuncte amanterque cum eo vixerant, deploratus, nemini infensus et heu! diu desideratus. Have pia anima!

Nunc Vos, Commilitones mei, qui et vivum tantopere amastis et funus etiam eius, quocunque potuistis, honoris et pietatis cultu prosecuti estis, ultimum etiam quiddam nomini et memoriae eius tribuite, idque non me solum, sed Kuhlium ipsum, vivum etiamnum et spirantem a Vobis petere existimate: ea ut sequamini, quae sancta illi in omni sentiendi et agendi ratione fuisse novimus, a quibus vero illum toto suo animo abhorruisse scimus, ea ut eodem, quo ipse tegitur, condatis tumulo. Amavit ille quum alia honesta omnia, tum veritatem imprimis et simplicitatem, quam veri sigillum esse, vitae suae legem et symbolum haberi voluit, vanitatem vero, magniloquentiam, iactationem gloriosam non solum literarum sed ipsius societatis et reipublicae maximam et capitalem pestem existimavit. Agite igitur, Iuvenes optimi, flores Germaniae, futuri temporis columina, antiquae eruditionis firmamenta et propugnacula, erigite animos Vestros ad sublimem veritatis et simplicitatis sensum, deponite ac delete iudicii temeritatem et opinionem praeiudicatam, *πάντα δοκιμάζετε, τὸ καλὸν κατέχετε,* superstitionem vero et vanam omnia novandi libidinem et insolentiam fortiter propellite, consentientibusque et conspirantibus animis ad Hippocraticae, i. e. ad verae et rationalis, medicinae defensionem incumbite. Quod si feceritis, digni tanto magistro successores existimabimini, et nostrae etiam scholae laudem et memoriam ad

omnem posteritatem propagandam, quantum in Vobis erit, curabitis.

---

Kuhlii scripta academica, — quae, si discipulorum alicui in unum corpus redigere et coniunctim edere placuerit, non solum is observationes utilissimas et maxima parte rariores oblivioni, qua saepe obruuntur eiusmodi opuscula, erepturus, sed singularem quoque apud cultores eius gratiam initurus esset, — haec sunt:

Diss. De potioribus arteriae aneurysmaticae ligandae methodis, praemissis duorum aneurysmatum feliciter sanatorum historiis. Acc. IV tabb. aen. 1824. (4°.)

Pro loco in Facultate Medica obtinendo publice defensa d. 19. Nov. eid. a.

Historia membri virilis feliciter extirpati exponitur. Cum tab. aen. 1824. (4°.)

Invitatio ad audiendam orationem, qua munus Professoris Ordinarii auspicaturus erat die 27. Nov. eid. a.

Lithotomiae Paiolianae expositio Partic. I. c. tab. lithogr. 1825. (4°.)

In memoriam beneficii Martiniani. d. 5. Iun. eid. a.

— — — Part. II. 1825. (4°.)

In memoriam beneficii Kregelio-Sternbachiani d. 16. Iul. eid. a.

Quatuor haec opuscula priora quaestionibus chirurgicis posthac editis, quibus numeros a quinto deinceps adiecit, adnumerari voluit auctor.

Quaestionum chirurgicarum Partic. V. De prognosi in morbis chirurgicis cautissime sistenda. Specimen I. 1830. (4°.)

In memoriam beneficii Martiniani d. 5. Iun. eid. a.

— — Part. VI. Vulneris sclopetarii gravissimi descriptio. c. tab. lith. 1831. (4°.)

Haec et reliquae prolusiones ad indicendas panegyres medicas editae sunt.

— — Part. VII. Meditationes de vulneribus sclopetariis Spec. I. 1831. (4°.)

— — Part. VIII. Meditationes etc. Spec. II. 1832. (4°.)

— — Part. IX. De idiosyncrasia haemorrhagica Spec. I. 1833. (4°.)

— — Part. X. De idios. haemorrh. Spec. II. 1833. (4°.)

— — Part. XI. De idios. haemorrh. Spec. III. 1833. (4°.)

— — Part. XII. De idios. haemorrh. Spec. IV. 1833. (4°.)

— — Part. XIII. De idios. haemorrh. Spec. V. 1834. (4°.)

Quaestionum chirurgicarum Part. XIV. Arteriae subclaviae dextrae deligatio. Spec. I. 1834. (4°.)

— — Part. XV. Arteriae subclaviae dextrae deligatio. Spec. II. 1835. (4°.)

— — Part. XVI. Arteriae carotidis communis utriusque deligatio. Spec. I. 1835. (4°.)

— — Part. XVII. Arteriae cruralis aneurysmaticae infra saccum aneurysmaticum feliciter ligatae exemplum enarratur. 1835. (4°.)

— — Part. XVIII. Arteriae innominatae aneurysmaticae, carotide ligata, sanatae exemplum refertur. 1835. (4°.)

— — Part. XIX. Arteriae anonymae deligatio. 1836. (4°.)

— — Part. XX. De prognosi in morbis chirurgicis cautissime instituenda. Spec. II. 1837. (4°.)

— — Part. XXI. De prognosi in m. chir. cautiss. instit. Spec. III. 1837. (4°.)

— — Part. XXII. Arteriae aneurysmaticae infra saccum aneurysmaticum ligatae exemplum alterum. 1837. (4°.)

— — Part. XXIII. De prognosi in morb. chirurg. cautiss. instituenda. Spec. IV. 1837. (4°.)

— — Part. XXIV. De progn. etc. Spec. V. 1838. (4°.)

— — Part. XXV. De progn. etc. Spec. VI. 1838. (4°.)

— — Part. XXVI. De progn. etc. Spec. VII. 1839. (4°.)

— — Part. XXVII. De progn. etc. Spec. VIII. 1839. (4°.)

— — Part. XXVIII. De progn. etc. Spec. IX. 1839. (4°.)

— — Part. XXIX. De progn. etc. Spec. X. Lithotomiae feliciter quidem peractae, sed letaliter finitae enarratio. Spec. I. 1840. (4°.)

— — Part. XXX. De prognosi etc. Spec. XI. Lithotomiae etc. enarratio. Spec. II. 1840. (4°.)

Delectus observationum in quaestionibus Kuhlianis traditarum habitus est in: *Clarus und Radius Beitr. zur pract. Heilk. Bd. II.* p. 245—267. ib. p. 345—347. IV. p. 363—368. Videantur etiam: *Blasius und Mosen Analecten der Chirurgie, Hft. III.* p.309—316. et IV. p. 32—38.

His accedunt:

*Allgemeines Register über die ersten zwölf Bände der Sammlung auserlesener Abhandlungen für pract. Aerzte. Leipz.* 1798. (8°.)

De vitiligine ulceroso-serpiginosa integumentorum faciei atque colli cum sarcosi palpebrarum inferiorum et tabe mandibulae singulari observatione illustrata commentatio. Cum icone lithogr., quo *Carolo Gottlob Kuehnio* semisaecularia doctoralia gratulatus est. 1833. (4°.)

# Argumentum.

---

Ordinem singularum dissertationum chronologicum vd. supra xix

# I.

## De arteriarum deligatione atque ligatura.

# I.

## *De potioribus arteriae aneurysmaticae ligandae methodis, praemissis duorum aneurysmatum feliciter sanatorum historiis.*

**(Quaestionum chirurg. Particula I.)**

---

Uti multa omnino sunt, quae docent, artem chirurgicam novissimis temporibus in summo illo atque acerrimo studio, quo rerum naturalium et medicarum scientia fuit exculta, non solum neglectam non fuisse, sed potius laetissima et fere miranda cepisse incrementa, ita haud scio, an in primis artis chirurgicae laudibus, recentiori demum tempore acquisitis, aneurysmatum curatio merito ponenda sit. Non equidem nescio atque infitior, esse haud paucas chirurgorum aetatis nostrae artes, quarum seculi praeteriti eodem anno, qui nostri hodie vertitur, si non prorsus nulla, attamen adeo fuerit exigua atque manca facultas, ut vere novae plane et a nostris demum hominibus inventae esse videri possint. Quis enim Iennerum variolarum vaccinarum insitionem ad extinguendas humanas, Anglicos imprimis medicos, postea vero nostros quoque largiorem hydrargyri in inflammationibus, parciorem autem eiusdem medicamenti in morbis venereis usum Mathiam commendasse nescit? Quis, quaeso, chirurgorum Bilgueri, Guthriei, Pottii, Richteri, aliorumque de aptiore vulnerum, praesertim telis igniferis effectorum medela, Larreyi de moxae, Rustii de ferri candentis applicatione merita neget? Ecquis est, qui, quantum gratiarum Cloqueto, Hesselbachio, Lawrencio, Richtero, Scarpae,

Seilero e. s. p. in rite cognoscendis et feliciter curandis herniis debeamus, obliviscatur? Numquis Ioergium aliosque in deformitatibus emendandis, Carpueum et Graefium in curtis restituendis, Cooperum in luxatis et fractis reponendis, Desaultium in laryngotomia, Eckoldtum in oesophagotomia instituenda laetissimos eventus observasse ignoret? Quis denique est, cui Homiana varicum deligatio, Beeriana cataractae extractio, eiusdemque non minus ac Langenbeckii, Reisingeri, Schmidtii et aliorum pupillae artificialis formatio summa laude diligentique studio dignissima non videatur? Longe plura chirurgis nostri aevi valde honorifica addi possent, sed credo neminem fore, qui vel hisce tantummodo commemoratis non feratur mecum ad ingenii iudiciique humani admirationem, gratissimus agnoscat dignisque honoribus industriam ac merita illorum virorum prosequatur, quorum ope scientia tam egregios fecit progressus.

De *aneurysmatis* felici curatione vel prorsus desperarunt maiores nostri, vel eo modo praeceperunt, ut plane alia sit nostris temporibus rei chirurgicae in hoc malo curando versantis facies. Desperatam autem vere fuisse aneurysmatum curationem, atque pro vana habitam a magni nominis viris, testimonio esse potest aneurysma *iliacum* atque *axillare*, quod utrumque usque ad Desaultii et Goochii aetatem pro morbo sanationem adeo respuente habebatur, ut homines hocce malo vexati vel omnino a medicis relinquerentur, vel non nisi methodo a Valsalva quondam commendata, i. e. venae sectionibus saepe repetitis, ieiunio, summaque quiete tractarentur. Desaultius [1]) autem ligationem infra saccum aneurysmatis commendat, quam curandi rationem minime laudandam esse, alio loco exponam. Goochius [2]) contra ea de vana seu inani horum aneurysmatum curatione tam certo persuasus fuit, ut, si arteria cruralis unquam cum felici eventu ligata fuerit, hanc arteriam superficialem duplicem adfuisse putaret, quod ter ab ipso observatum fuisse contendit: quam quidem structurae varietatem saepius existere

---

1) Desault, *chir. Nachlass*, Vol. IV. p. 298. 2) Philosoph. Transact. Vol. 65. p. 37. Murrayi animadvers. in aneurysmata femoris, in Lauthii collect. scriptor. latin. de aneurysm. p. 533.

propterea probabile habet, quoniam alias fieri non possit, ut arteria principe constricta, illius rami profundi superstites satis sanguinis ad inferiorem artum advehere possint. AYRERUS [3]) aneurysma in regione iliaca spem sanationis vel omnino, vel certe ex parte nobis eripere contendit, et de huius sententiae veritate ita persuasus est, ut tribus opusculi laudati locis eadem fere verba repetat. Comparemus cum hisce viris, qui suis temporibus inter principes referebantur, nostri aevi chirurgos, qui adeo non de aneurysmatibus auxilio operationis feliciter profligandis desperant, ut potius talium curationum cum felicissimo successu susceptarum multa quotidie proferant exempla. Laudabo ABERNETHIUM, CAR. BELLIUM, BRODIEUM, COOPERUM, DUPUYTRENIUM, FREERUM, GOODLADIUM, LAWRENCIUM, TOMLINSONIUM, multosque alios, qui *iliacam externam*, ATKINSONIUM ac STEVENSIUM, qui *iliacam internam* ligare ausi sunt. Multo maiore admiratione digni esse videntur illorum conatus, qui, uti BLIZARDUS, CHAMBERLANIUS, COOPERUS, DELPECHIUS, DESAULTIUS, KEATIUS, RAMSDENIUS arteriam *axillarem* et *subclaviam*, aut quemadmodum ABERNETHIUS, CLINIUS, COLLIERUS, COOPERUS, LAWRENCIUS, POSTIUS, TRAVERSIUS *carotidem*, denique uti GRAEFIUS et MOTTIUS *innominatam* ligare tentarunt, et quod caput rei est, non sine fructu tentarunt [4]).

Horum autem virorum praecepta et instituta cum ex ipsorum libris et narrationibus satis, ut mihi videbatur, cognovissem, ita ut de eorum et veritate et utilitate iusta dubitandi nulla plane causa mihi superesset, quis miretur, avidius me optasse, ut et mihi aliqua offerretur opportunitas, meo ipsius usu discendi, num temere illorum consiliis calculum adiecerim nec ne. Neque eventus meis votis defuit. Duo enim intra breve temporis spatium aneurysmata mihi sese obtulerunt, quorum alterum ansam mihi praebebat, *iliacam externam*, alterum vero *cruralem* in superiori femoris parte

---

3) *Ueber die Pulsadergeschwülste und ihre chirurg. Behandl.* Gött. 1800. pag. 350. 4) Me non fugit, ASTLEIUM COOPERUM, Virum laude mea longe maiorem, aortae abdominali adeo vinculum iniecisse, cuius vero exitus cum expectationi minime responderit, hancce operationem confirmatione hucusque adhuc egere censeo.

ligandi. In hoc igitur utroque aneurysmate quid expertus fuerim, nullo adhibito orationis ornatu, qui a me expectari haud potest, religiosa tamen fide iam exponere animus est. Cui quidem narrationi singulas deinceps subnectam observationes cum aliorum tum meas ex chirurgiae exercitio profectas, non quod putem, me novi aliquid prolaturum esse, sed eo potius consilio, ut plurima variorum artis magistrorum de aneurysmatum curatione decreta, in multis libris dispersa, hic collecta paulo accuratius dispiciam, quidque iis veri falsive insit, perscrutari audeam.

## *Historia morbi et operationis I.*

Rustica quaedam 34 annos nata, laxa quidem fibrarum compage, sed illa tamen nondum morbosa, modice nutrita, ingenio haud alacri, trium liberorum mater, ad me accessit, de tuberculo in inguine dextro ipsi arteriae crurali insidente, pluribus abhinc mensibus sine ullo, quod sciebat, rerum externarum impulsu orto, circumscripto, ad nucis iuglandis magnitudinem accedente, integumentorum communium colore nondum mutato, valde tenso, fortiter pulsante, leni digitorum compressioni tympani instar renitente, fortiore vero adhibita, strepitum sibilantem edente, parum tantummodo dolente, pedisque motum non impediente, sententiam meam audire cupida. Omnibus accurate perpensis, de indole mali aneurysmatica nequaquam dubitans, aegrotae mali periculum exposui, operationemque, cuius discrimen minime silentio praeterii, etiam atque etiam commendavi. Quam cum respueret, a consuetis laboribus abstinentiam, summam tam animi quam corporis tranquillitatem, crebriorem venae sectionem, atque diaetam parcissimam, ad repentinum morbi adeoque periculi incrementum sistendum maxime necessaria esse, quam luculentissime poteram, aegrotae demonstravi [5]). Quorum quidem consiliorum, si victus tenuitatem, non tam voluntatis imperio, quam paupertatis necessitate iussam exceperis, nullo usam esse aegrotam, eventus docuit. Triennio enim vix praeterlapso, mensis Februarii die decimo quinto anni

5) vid. Not. I.

MDCCCXXI ad miseram illam nuncio festinanter misso advocor, quam cum viderem, symptomata tristissima, diagnosin meam confirmantia, observata sunt: Tumor multo, quam antea, maior, maxime turgens, graviter dolens, fortissime pulsans, oculis digitisque patens, involucris communibus violacei coloris tectis, in medio tumore foramen angustum, ex quo sanguis rubicundus quemadmodum ex silano prosiliebat. Totius corporis superficies algida, flaccida, sudore frigido madida, vires exhaustae, pedes oedemate tumidi, ac vix movendi, respiratio anhelosa, pulsus minimus, pectus pondere quodam quasi compressum, facies collapsa, animus tristissimus.

Aegrota mihi narravit, se quatuor abhinc diebus gravissimos quosdam suscepisse labores, ac grandia onera non sine summa virium intentione sustulisse, quo facto tumorem statim esse auctum redditumque dolentem. Cum periculum in mora hic esse intellexissem, indicationem vitalem respiciendam et operationem arteriae ligandae quam primum suscipiendam esse putavi; quam si distulissem, maxime mihi fuisset verendum, ne forte tunicis arteriae dilatatae proxima nocte ruptis subita vitae induceretur iactura. Quae cum ita essent, ad opus perficiendum, suadente et adiuvante Kohlrauschio, chirurgo nostrae urbis dexterrimo, amico aestumatissimo, me accinxi, et hancce maxime memorandam operationem sub prognosi pessima, praesertim cum aegrota puerum fere biennem lactaret, hora quinta pomeridiana suscepi. Amicissimus Carus, illo tempore medicinae ac chirurgiae cultor, nunc medicus *Colditziensis* celeberrimus, arteriam iliacam supra ligamentum Poupartii comprimere studuit. Woostius, medicus iunior, eximiis et virtutis et doctrinae laudibus praestans, supellectilem chirurgicam praebuit. Cum vero sacci rupturam ac haemorrhagiae funestae exinde oriundae periculum metuens, cutem supremam ne digitis extendere quidem, nedum in plicam elevare conarer, incisionem primam suspensa manu ac levi cultri ductu octo pollicibus longam institui, ita, ut centrum huius vulneris in apice tumoris esset. Quod vulnus cum nec oculorum adspectui, nec digitorum immissioni satis patere videretur, aeque longam, sed

transversam feci incisionem atque sic vulneri formam cruciformem conciliavi. Arteriae quaedam cutaneae minores dissectae et confestim digito chirurgi adsistentis compressae sanguinem non amplius ediderunt. Etsi speraveram antea, fore, ut arteriae trunco facile invento intra ligamentum Poupartii et saccum aneurysmaticum vinculum iniicere possim, spes tamen me fefellit. Integumentis enim communibus discissis, eorumque laciniis ad latera reclinatis, cognovi tumorem aneurysmaticum cum partibus propinquis mirifice cohaerentem ultra illud ligamentum extendi, arteriaeque parietes una cum tela cellulosa vicina iusto densiori ad ligamentum usque osseam induisse naturam [6]). Quapropter ligamento Poupartii dissecto et sacco aneurysmatico aperto [7]), digitum indicem sinistrum in vasis tubum immisi, atque arteriae hoc modo elevatae et a partibus vicinis separatae [8]) filum crassum, firmissimum, acus curvae maxime simplicis Fig. VIII. delineatae ope, non sine summa molestia subduxi [9]), et nodum ligavi [10]). Qui operosissimus labor cum paulo longius temporis spatium consumeret, sanguinis iactura ob insignem vasorum discissorum multitudinem haud mediocris esse debebat. Nodo duplici, eoque vulgari firmiter contracto, pars arteriae dilatata collapsa quidem est, sed tamen in poplitis fundo levis adhuc pulsatio sentiri potuit, unde sanguini ad partes inferiores aditum non omnino praeclusum esse, sed ramorum lateralium supra locum affectum emissorum ministerio perfici, laetissimus percepi [11]). Finita operatione in vulneris aqua tepida eloti cavitatem, ne forsitan intestinorum prolapsui ansa praeberetur, glomum ex linteo carpto confectum, praetereaque eiusdem lintei carpti copiam sufficientem immisi, panniculos cutaneos emplastris glutinantibus coniunxi, totumque vulnus fasciis firmiter constrinxi. Aegrota de horrore, susurro aurium, caligine, vertigine, sensuumque obnubilatione conquesta, haec symptomata haud dubie frigori admisso et largae sanguinis profusioni minime vitandae debebat, et sperabam, fore, ut infuso florum chamomillae

---

6) vid. Not. II. 7) vid. Not. III. 8) vid. Not. IV. 9) vid. Not. V. 10) vid. Not. VI. 11) vid. Not. VII.

mox tollantur. Sed res aliter evenit, nam aegrota, in lectum quam citissime delata, algore intenso correpta est, ac sui conscia esse penitus desiit: accessit praeterea lipothymia maxime profunda per tertiam horae partem protracta, totum corpus gelidum, sudore viscido tectum, genae pallidae et magis quam antea collapsae, palpebrae fere clausae, et quae per rimam palpebrarum conspici potuit particula bulbi, distorta apparuit et squalida, nares amplae, labia livida, respiratio vix percipienda, interdum gravia suspiria, de imo pectore emissa, cum nonnullis vocibus indistinctis mixta audita sunt, misera membris quasi resolutis supina iacuit, pes dexter calore nativo pulsuque vitali privatus et quasi mortuus torpuit, verbo, omnia ita comparata fuerunt, ut mortem instare metuerem, et omnem salutem ab analepticorum usu et cauta caloris artificialis, v. c. involucrorum laneorum nec non lagenarum arena calefacta repletarum, applicatione expectandam esse crederem.

*Die* 16. *Febr.* Nox inquieta, vulnus dolens magnam lymphae copiam excernit, arteriarum pulsus in artu laeso cum calore aucto et quodam formicationis sensu redire incipiunt: aegrota, conscientiae ac memoriae usu recuperato, ingenti siti conficitur, cibumque fastidit, de debilitate tanta, ut omni corporis movendi facultate careat, ac de pulsatione maxime ingrata supra locum arteriae constrictum percipienda valde conqueritur. Lingua sicca, abdomen tensum, arteria radialis vix ac ne vix quidem percipienda, ceteroquin, quod maxime mirandum, lactis secretio nequaquam impedita, et puer optime sese habet.

*D.* 17. Chirurgus vici proximi, cui aegrotae cura erat commissa, per epistolam me certiorem reddidit de somno placido, quo aegrota per horam circiter dimidiam usa sit, atque de dolore ac siti mitioribus factis: praeterea addidit, pulsationes in parte affecta valde esse molestas, cutem mollem sudore calido universali madere, linguam inveniri humidam, et lactationem bene procedere.

*D.* 18. Nox satis tranquilla, sitis minus urget, lingua humida, tenui muci lamina tecta, transpiratio calida, in totius corporis superficie conspicua, lactis secretio continuatur; cibi

non appetuntur, alvus haud respondet, urinae pauca copia emittitur; pes dexter calet ac minime torpet, arteria poplitea leniter micat, dolor in vulnere ipso minus vexat; suppurationem initium cepisse, ex odore aegrotam circumfluente et febriculae initiis concludimus. Fasciis solutis extremum solummodo lintei carpti stratum demi potest, interiora remanent intacta, fasciae consueto modo iterum applicantur, summa quies commendatur, pro medicamentis analepticis emulsio amygdalina ordinatur.

*D.* 19. — 24. Suppurationis optima conditio; femina, quae demisso est animo, parum sperat.

*D.* 25. Vulneris ampli ac profundi adspectus bonus, papillae carneae globos dimidios referunt, ac laete rubent; glomus sponte exit, parietes arteriae ossei a digito investigante percipiuntur, ciborum appetitus melior, excretiones parcae, lactis secretio sibi constat. Sufficiens lintei carpti in conum compacti copia ingesta est vulneris cavo; medicamentorum eadem ratio.

*D.* 1. *Martii.* A chirurgo accepi, aegrotam bono quidem somno frui, primo tamen diluculo tussi turbari eo molestiori, quo vehementius dolores pulsantes in vase vincto, antea commemorati, hoc symptomate excitarentur, ceteroquin nihil esse permutatum; proposuimus bechicum cum pauxillo extracti hyoscyami.

*D.* 2. Funiculus arteriam constringens sine ulla haemorrhagia expellitur: (die decimo sexto post operationem), omnia reliqua sibi constant.

*D.* 8. Tussis aeque ac febris ferocitas remisit; nox quieta, aegrota bono gaudet animo, fovetque spem restitutionis: lactis secretio a regula haud recedit, omnes functiones bene procedunt, vulneris habitus laudabilis, orae fiunt carnosae, telae cellulosae corruptae copia cum squama ossea excernitur, pes dexter sine magna virium contentione movetur.

*D.* 15. Conditio feminae egregia, nulla functio turbata, tussis febrisque abest, pulsationes vix amplius vexant; Chirurgus particularum ossearum, ex vulnere expulsarum, collectionem mihi monstrat, plagae cavum magis magisque minuitur, restant quidem ossiculorum fragmenta, sed papillis

obducuntur carneis, ita ut, quod antea fieri non potuit, digiti apex sine laesionis formidine posset induci. Aegrota de lecto surgere conatur.

*D.* 21. Etiamsi multum osseae materiei in vulneris cavo adhuc supersit, praetcreaque spongia arctius fortiusque compressa in illud quotidie inducatur, nihilominus tamen vulneris ambitus de die in diem magis contrahitur. Quid multa? Initio Maii cicatrice bona atque firma vulnus clausum, femina sensim sensimque restituta hucusque optime valet, ac laborum rusticorum molestiam sine incommodo perfert.

Quamquam ab initio maxime metueram, ne forte ob dissectum ligamentum Poupartii insignis ad herniam cruralem inclinatio per totam vitam esset remansura, eventus tamen huncce timorem vanum fuisse ostendit, ac certissime credo, cicatricis firmitate aggerem quasi illi tristissimo malo oppositum esse. Nec sine summa laetitia percepi, hanc feminam circa finem Martii huius anni puellam sanam et bene nutritam absque magna difficultate peperisse.

## *Historia morbi et operationis II.*

Alterum, cuius historiae cum lectoribus aestumatissimis communicandae spem feci, aneurysmatis *cruralis* exemplum hoc fuit:

Pistor quidam cupediarius, oppidi vicini civis, quadragesimum quintum annum agens, corpori suo haud inimicus, vitaeque humanae aerumnas victus delectamento animique hilaritate vincere studens, morbis infantiae feliciter superatis, nullius gravioris aegritudinis sibi conscius, superiorem partem femoris, ubi arteria profunda a crurali secedit, contra temonis apicem fortuito casu gravissime allisit. Quae calamitas cum ipsi nullam ab initio, praeter levem dolorem ac fugacem pedis torporem, pararet sollicitudinem, aegrotus iusto minus ad eam animum advertit. Praeterlapsis autem septimanis aliquot, tumor in illo loco, a parvis initiis quotidie in maius volumen extensus, hunc virum coëgit, ut a chirurgis medicisque auxilium peteret, qui ipsi pro varia, quam de mali natura fovebant, sententia varia quoque suadebant medicamenta. Vere novo anni MDCCCXXII. rogavit,

ut meam de ipsius statu opinionem ipsi traderem. Tumor, pruni domestici magnitudine, in medio femore sinistro locum habebat, fortiter ac synchronistice cum corde pulsabat, arteria versus os pubis compressa detumebat laxiorque reddebatur, vir pedem cum molestia tantummodo movere valebat, et de continuo formicationis sensu, frigore et rigore, in hoc artu percipiendo conquerebatur, cuius pars infima oedemate laborabat. Cum ex hac signorum congerie vitii tam conditionem, quam gravitatem cognovissem, ac maius a manu, quam a medicamentis, praesidium hic expectandum esse declarassem, vir, hoc meo consilio probato, decimo Aprilis anni eiusdem in nosocomium nostrum, a Sto. Iacobo cognominatum, sese contulit, et postridie, ampla spectatorum corona adstante, operationem sub bona prognosi passus est, cum praeter aneurysma nulla sanitatis perturbatae signa deprehenderentur.

Aegroto, uti decet, posito, nec non adiutoribus suo quovis loco dispositis, arteria digitorum ope versus ossis pubis ramum adacta, et paulo inferius torcularis ministerio compressa, integumenta communia per longitudinem octo pollicum secundum musculi sartorii decursum discidi, incisionis initio ab ea parte femoris, ubi arteria profunda a crurali abit, facto, et infra saccum aneurysmaticum terminato. Dein fascia lata dissecta, musculo sartorio exteriora versus diducto, membroque repetitis vicibus nunc flexo, nunc extenso, arteriae, a vena, nervo, contextuque celluloso vicino diligenter, non ferri vi, sed digitorum mollitie seiunctae, minime tamen a sede dimotae, acus Cooperianae Fig. VIII. exhibitae auxilio filum sericeum firmissimum subduxi, illudque nodo connexi. Quo facto saccus est collapsus, pulsatioque desiit. Notari meretur, aegrotum, quamquam per totum operationis tempus monstraverat constantiam, tamen sub ipsa arteriae constrictione vehementem extulisse clamorem, quem ipsi, nisi fallor, dolor vehemens, a compressione nervi cuiusdam ortus, extorsit.

Quae ad vulneris deligationem pertinent, cum omnia eodem modo, si glomum exceperis, uti in antecedentibus commemoratum est, instituta sint, ea nunc repetere nolo.

Aegrotus in lectum delatus, et sua sorte contentus, pungentem dolorem in genu adesse affirmat, arteria poplitea leniter micat, calor artificialis iusto modo parti vulneratae adhibetur: torculare Petiti securitatis causa femori supremo laxe circumiicitur.

*Vesp.* Excepto genu dolore, omnia optime habent, sudor tepidus corpus tegit, pulsatio levis in loco adfecto, nec non formicationis sensu in intimo artu animadvertitur. Opii pauxillum adhibetur.

*D.* 12. Nox satis tranquilla, pes calidus, dolor genu vexare pergit, sitis vehemens, pulsus febrilis, lingua sicca, muco flavo obducta, halitus foetidus, superficies oris viscida, adsunt vomendi conatus, abdomen tympani instar inflatum.

*Vesp.* Aegrotus inquietus in lecto sese huc illuc iactat, impetuosius potulenta adsumit, febris aucta, caput dolet, oculi rubent fulgentque, facies ardet, vultus torvus atque distortus, sensus interdum obtunduntur, respiratio brevis et anxia, oppressio in pectore semper eadem, urina flammea, abdomen tensum, alvus clausa, dolor ac pulsatio partis laesae perdurant, pes calore naturali utitur. Emulsio papav. propinatur.

*D.* 13. Nox inquieta, deliria suavia somnum turbant, ceteroquin aegroti conditio ab hesterna non recedit.

*Vesp.* Hora tertia pomeridiana accessit frigus, quod sequebatur calor insignis, posteaque sudor largus, respiratio liberior, capitis dolor et pectoris oppressio mitior, ciborum appetitus nullus, alvus obstructa, lotium non missum est: pulsatio eadem, formicatio praeprimis pedis digitos corripuit, pes laesus altero calidior.

*D.* 14. Fasciis solutis suprema lintei carpti strata separantur, inferiora firmiter cohaerentia intacta relinquuntur, suppurationis initia observantur, lymphae larga copia excernitur, dolorem artus pungentem in obtusum transiisse, aegrotus fatetur. Eccoproticum medicamentum, cuius usum symptomata gastrica desiderant, exhibetur.

*D.* 15. Aegrotus, quem per maximam noctis partem placidus somnus recreavit, alvum deposuit; doloris febrisque vis imminuta est, sudor matutinus corpus occupat universum; vulneris adspectus satis bonus.

*D.* 17. Licet omnia symptomata meliorem aegroti conditionem indicant, parvus tamen sinus iuxta arteriam deorsum tendens animadvertitur, ac linteo carpto provide repletur, suppuratio egregia, papillae carneae laete propullulant.

*D.* 22. Aegrotus de die in diem melius habet, appetitus ac somnus naturalis, vitae robur cum animi hilaritate consueta redit, ita ut in lecto morari ac torcular tolerare diutius nolit; sinus ante commemoratus carne firma impletur.

*D.* 29. Vinculum arteriam constringens eiicitur (die undevigesimo) vulnusque quotidie arctius contrahitur, nullo amplius sinus vestigio conspicuo. Aegrotus quovis die per horam dimidiam e lecto surgere conatur, sed propter totius corporis debilitatem post breve tempus illuc redire coactus est. Torcular aufertur.

Quae cum ita essent, liberalius alimentum praebendum curavi, corporisque motum lenem concessi. Vires crescunt, vulneris ambitus minuitur, omnia symptomata antea commemorata absunt, ac sanitas huius viri sic restituta est, ut exeunte Maio nosocomio, et septimo Iulii die huic urbi valedicere posset, superstite parva tantummodo fistula, quam praeterlapso paucarum septimanarum tempore clausam fuisse, per literas certior factus sum. Hucusque vir optime valet, suis negotiis rite fungitur, pedibusque perinde atque sanissimus utitur; saccus aneurysmaticus plane evanuit.

## *Notae.*

I. Erunt forsan, qui me reprehendant, quod non ex Desaultii auctoritate arteriam infra saccum aneurysmaticum compresserim. Quos vero moneo, ut secum reputent, partim hocce consilium, cum eiusmodi compressio rupturam sacci adeoque subitam mortem facillime adducere possit, periculi plenum esse, partim continuos, quales apud agricolas sunt, labores talem compressionem, cuius vis atque efficacia tota a laborum remissione pendet, haud concessisse. Alio modo res comparata est, ubi arteriae dilatatio paulo inferius locum habet, ita ut vel torculari, vel involutioni Thedenianae spatium pateat, quibus in casibus equidem repetitis vicibus torcular cum Weinholdianum, tum Assalinianum, quibus machi-

nis vix quidquam simplicius cogitari potest, non sine fructu adhibui. Alio tempore aneurysmati popliteo orienti linteum compressum secundum arteriae cruralis cursum impositum et fascia longa a digitis pedis usque ad regionem iliacam firmatum optimo cum successu opposui.

II. Saepe miratus sum, hanc morbosam arteriae aneurysmaticae conditionem, non raro occurrentem, ab auctoribus obiter tantum commemorari, nec, quid in eius ligatione agendum sit, praecipi. Etenim plus una vice in cadaveribus, licet nullo modo senio laborarent, arteriam cruralem, nec non brachialem ossificatam vidi. In hac autem rerum conditione omnem salutem ab arteria paulo altius investiganda et liganda expectandam esse credo, quippe cum arteria in tubum osseum mutata nullo vinculo possit constringi. Quae quidem degeneratio in aorta praeprimis observatur, et singulari quadam naturae providentia facta esse mihi videtur, cum tunicarum crassitie et firmitate arteriae dilatatae disruptio avertatur, et valde laetor, cum Celeberrimum Curt. Sprengelium eandem fovere sententiam, qui „*in ipso malo mali lenimen quaerendum esse*“ affirmat [12]), tum Burnsium [13]), Corvisartum [14]), Kreysigium [15]), aliosque, de cordis et arteriarum morbis agentes, hac de re inter sese convenire.

III. Ex quo chirurgi in aneurysmatis cura methodum Hunterianam secuti sunt, sacci morbosi dissectione prorsus neglecta, quae illo continentur, ob metum, ne nimis ampla et difficulter sananda oriretur cavitas, absorbenda reliquerunt; timorem autem illum vanum esse, experientia multorum probavit. Quod ad methodum ab Huntero commendatam attinet, etsi minime illa reprehendenda sit in aneurysmate popliteo, cubitali, aliisque, ubi ligatio arteriae procul a loco dilatato institui potest: res tamen aliter se habet, cum spatii angustia aut immensa sacci moles, aut denique sanguinis coagulati copia nos cogit, prope saccum aut supra saccum ipsum incidere. Tunc iuvat, incisionem in ipsam aneurysmatis

---

12) Budendey, diss. de aortae aneurysmate. Hal. 1801. 13) *Von einigen der häufigsten und wichtigsten Herzkrankh.* Lemgo 1813. 14) *Ueber die Krankh. u. organ. Verletz. des Herzens.* Berlin 1814. 15) *Die Krankh. des Herzens.* Berlin 1814.

cavitatem protrahere, digitum introducere, et vasis tubum elevare, quo fit, ut sanguini exitus praecludatur, ideoque acui introitus securior concedatur liberiorque. Ut defensores huius opinionis priores taceam, v. c. DESAULTIUM, DIONYSIUM, LA FAYEUM atque PETITUM, solummodo liceat mihi nominare ANTON. SCARPAM, qui in aureo libro [16]) ait: „*Aneurysmatis duos pollices ab arcu crurali remoti curationem non fieri posse, nisi tumor ipse aneurysmaticus aperiatur.*" Conferatur quoque LISTONUS [17]), qui in simili casu eandem methodum secutus est. Nominandus denique mihi videtur amicissimus KOHLRUSCH, qui in aneurysmate femorali horrendae magnitudinis saccum aperuit, sanguinem collectum emisit, et hac ancipiti operatione aegrotum certissimae morti eripuit. Si quis obiiciat, quare ab initio COOPERUM in liganda iliaca externa haud secutus fuerim, qui ab incisione semilunari initio facto, musculi obliqui aponeurosin separat, obliquum internum et transversalem elevat, et sublato peritonaeo, remotoque funiculo spermatico, arteriam a partibus proximis liberatam vinculo circumdat, ei respondeo, arteriae statum morbosum ante operationem et mihi plane fuisse ignotum, et a nullo alio divinari potuisse.

IV. Mirandum sane est, chirurgos priorum temporum, v. c. BERTRANDIUM [18]), BRUNNIUM [19]), FOUBERTUM [20]), HAZONEM [21]), MOLINELLIUM [22]), ERN. PLATNERUM [23]), VALSALVAM [24]) denique, quamquam nervum non separandum, sed filo una cum vase complectendum esse, cum ratione, tum experientia probare student, nihilominus tamen fateri, dolorem in ipso arteriae constringendae momento acerbiorem esse, quam si arteria sola ligetur. Multo prudentius agunt coaevi nostri, v. c. ROUXIUS aliique, qui quemcunque nervum, quantum fieri potest, ab arteria liganda diligentissime segregandum

---

16) *Ueber die Pulsadergeschwülste, a. d. Ital. durch* HARLES, *Zürich* 1808. p. 209. 17) Edinb medical and surgical Journal, Jan. 1820. p. 66. 18) Opérat. de chir. 19) Diss. sistens experimenta circa ligaturas nervorum in vivis animalibus instituta, Goett. 1753. p. 14. 20) Memoir. de l'Acad. de chir. Tom. II. 21) An tutior faciliorque aneurysmatis curatio? §. 4. 22) Diss. de aneurysmate e laesa brachii in mittendo sanguine arteria. 23) Suppl. in patris instit. chir. p. 95. 24) MOLINELLI, diss. cit.

esse praescribunt, et ad confirmandam hancce sententiam ad sarcoceles operationem provocant, ubi deligatio nervi spermatici crudelissima symptomata, quin mortem ipsam paravit. Equidem summam adhibeo diligentiam in separandis nervis, et cum ex doloris significationibus nervulum quendam vinculo contineri colligo, statim illud firmissime contraho, ut totus nervus vita privetur, nec amplius dolori ansa praebeatur. Neque vero minus studiose venam quoque amplam in aneurysmatis operatione a vase dilatato seiungere soleo, quod si negligitur, facile laedi potest vena, id quod Blizardo iuniori, cum arteriam cruralem ligare vellet, accidisse ipse animadverti: vena acu vulnerata haemorrhagiam formidolosam, nec nisi per citissimam vasis ligationem sedandam efficiebat.

V. Priusquam nodum necto, ex mente Deschampsii fines fili in partes oppositas traho, digitumque ansae impono, ut cognoscam, num hoc modo arteria constringatur nec ne. Quod levissimum adminiculum in operatione, de qua agimus, magni momenti est impeditque, quo minus fibras solummodo musculares pro vase aegroto vinculo concludamus. 

VI. Uti omnino multa in arte chirurgica incerta sunt nec satis illustrata, ita inprimis quaestio de liganda arteria aneurysmatica perdifficilis multisque dubitationibus exposita semper fuit, ut quae a nonnullis probata fuerint, eadem ab aliis reiicerentur. Quae summa opinionum discrepantia *primum* ad diversam acuum sic dictarum aneurysmaticarum indolem, *deinde* ad fili fabricam ac formam, *tum* ad eius applicationem, *denique* ad eiusdem remotionem pertinet.

A. Ex Antylli, qui primus aneurysmatis deligationem commendavit, aevo ad tempora novissima usque chirurgiae magistri in acuum commemoratarum partim fabrica, partim forma sive corrigenda, sive certe mutanda gloriolam quaesiverunt, ita ut si quis hodie suppellectilem horum instrumentorum integram sibi parare velit, non exiguas expensas facere sit coactus. Quae talium instrumentorum collectio et delineatio, ex mea quidem sententia haud supervacanea, artisque nostrae cultoribus, ad quos imprimis huncce libellum pertinere volo, fortasse haud ingrata, cum a me ubique frustra quaesita esset, in describendis iis atque delineandis

negotium non prorsus inutile suscepturus esse mihi videor. Si quis alius ante me hoc labore functus est, quem ego quidem non cognoverim, lectores rogatos cupio, ut meam qualemcunque operam aequi bonique faciant. Quamquam autem nec industriae nec sumtui adeo peperci, quo omnes has acus a me commemoratas mihi compararem, minime tamen, quod optaveram, efficere potui. Sic, id quod temporum iniquitati tribuendum est, Ramsdenianae acus ne figuram quidem videre, nedum acum ipsam mihi comparare potui: idem de Listonii et chirurgorum aliquot Americanorum valet instrumentis. Antiquorum chirurgorum instrumenta ac machinae hoc, nisi fallor, commune habuerunt, ut multo maiora nostris essent, quod v. c. in bracheriis, torcularibus, et maxime in forficibus Davielianis videre licet, quae vel duplo vel triplo hodie usitatis maiores fuerunt. Quapropter haud mirandum est, priscas acus aneurysmaticas quoque a nostris magnitudine recessisse. Quas exhibeo figuras, cum eae omnes a naturali acuum ambitu non aberrent, haud opus est, ut hunc in earum descriptione commemorem. Haec instrumenta, paucis tantummodo exceptis, in eo omnia conveniunt, ut apice obtuso, margine non secante (ne forte vel arteria ipsa, vel ulla pars proxima laedatur), curvatura vel ampla vel angusta, et foramine non ad finem, sed in mucronis vicinia posito sint instructa, in quod, quando instrumento uti volumus, filum inducitur, deinde acu sub arteriam traiecta et filo soluto instrumentum retrahitur.

Ut autem ab antiquissimis ordiamur, prima veniat in medium omnium maxima (No. I.) delineata, quae incerti auctoris apud maiores valde fuit usitata ac celebrata, arcum enormis ambitus falciformem format, et in facie convexa sulco, quemadmodum specillum conductorium in lithotomia adhiberi solitum, filo recipiendo dicato instructa est. Huic nuper quaedam in *Gallia* inventa et a nostro Walthero Viro Exp. benevole mihi concessa adeo similis est, ut eius delineatio minus videatur necessaria.

Multo subtilius est Casae Maioris de Guissard instrumentum (No. II.). Arcum parvum et angustum habet.

Quibus instrumentis simplicibus non contentus invenit

Ravatonus duas acus, inter sese cochleae ope firmissime coniunctas (No. III.), et arteriae aneurysmaticae aeque ac dissectae deligationi destinatas, quas in libro peculiari fusius describit [25]).

Goulardiana [26]) acus (No. IV.) ingens, manubrio ligneo sexangulo instructa, falciformis, canaliculum in latere convexo et foramen oblongum in apicis vicinia habet. Ab initio pro liganda arteria intercostali laesa inventa, deinde pro vinciendis arteriis aneurysmaticis commendata.

Deschampsiana [27]) (No. V.) antecedenti quoad longitudinem simillima, sulco caret, arcum minorem, bacillum fortius et foramen transversum habet.

Petitiana (No. VI.) argentea, latissima, in lateribus obtusa, in medio foraminulum prae se ferens, a chirurgis seculi praeteriti, inprimis Io. Zach. Platnero [28]) valde laudata, a filio Ernesto [29]) nec non a Richtero propter nimiam latitudinem improbatur, qua efficiatur, ut arteria nimis a partibus vicinis separetur, atque sit metuendum, ne rami proximi arteriae abrumpantur.

Heisteriana [30]) (No. VII.), circulum fere dimidium, apice obtuso, capitulo semigloboso, ac haud procul a fine foraminulum oblongum nobis offert. Cum huic acui capituli loco manubrium addideris, habebis Garengeotianam et Richterianam.

Moreavi, Molinellii, Bellii acus a communi acu chirurgica vix ac ne vix quidem diversae sunt, ita ut earum descriptio aeque ac delineatio mihi supervacanea sit visa.

Cooperiana [31]) (No. VIII.), ab Anglicis valde probata,

---

25) *De playes d'armes à feu*; p. 415. Pour se servir de cette double aiguille, on commence par proportionner l'écartement de ses lames au volume du vaisseau. On introduit en suite l'un des bouts de la ligature dans le trou de l'une des aiguilles, et l'autre bout dans le trou de l'autre aiguille de dehors en dedans, on l'enfonce ensuite en écartant le nerf avec l'une de ses pointes, ou avec le doigt indicateur de la main gauche, ce qui est fort aisé, et on fait glisser la pointe entre deux; mais on embarase deux ou trois lignes de chairs, du côté opposé pour affermir la ligature: on fait ressortir la pointe suivant l'usage, on tire les fils en rubans; on retire à soi l'instrument, et on achève le reste à l'ordinaire. 26) Deschamps sur la ligature des princip. art. bless. 27) l. l. 28) Institut. chirurg. 29) Supplementa in patris instit. chir. 30) Instit. chir. 31) Medic. chir. Trans. vi.

ex bacillo ferreo in parte superiore curvato constat, quod in fine capitulum ovale perforatum ad filum recipiendum habet. Manubrium eburneum ab inventore Ill. cuique alii praefertur.

Lawrenciana[32]) (No. IX.), praecedenti quidem similis, ab ea tamen eatenus recedit, quatenus capitulo carens, in omnibus partibus subtilior, manubrioque ligneo praedita est.

Desaultiana (No. X.), ex duabus composita est partibus, quarum prima, vagina argentea, plana, parum tantummodo curvata, in fine duos annulos habet ($\alpha\beta$), quibus prehendi possit. Pars altera (X. a.), elater, vagina longior est, et in apice foraminulo praedita. Cum hoc instrumento utimur, elater retrahitur, filumque foramini inducitur, ita ut reliqua eius pars in vagina lateat. Tum apice vaginae sub arteriam traiecto, elater protruditur, filum solvitur, quo facto totum instrumentum eadem via, qua ingressum est, redit.

Wattiana[33]) acus (No. XI.) ab antecedente sic discrepat, ut vagina non clausum, uti in Desaultiana, sed apertum exhibeat canaliculum, et elater ex duabus partibus constet, quarum minor (XI. b.) filum portans ex vagina ope maioris (XI. a.) propulsa arteriae subditur, et volsellae ministerio una cum filo extrahitur, quo facto vagina statim e vulnere reducitur.

Dupuytreniana acus (No. XII.), quam Waltheri Exp. benevolentiae debeo, recens inventa ac difficulter describenda, ballicum refert crassum ex manubrio ligneo procedens, cuius extremo circulus dimidius ferreus ad latus flexus, et in mucrone foraminulo instructus adaptatus est. Hocce instrumentum eo consilio ita formatum est, ut si in femore, ubi vasti sunt musculi, applicatur, nec lumini nec digitis chirurgi aditus praecludatur.

Zangiana[34]) acus (No. XIII.) amplum circumscribit arcum, apice obtuso, pone quem duo foraminula quadrata, transversae directionis duobus filis recipiendis destinata in conspectum veniunt.

---

32) Medic. chir. Trans. vi. 33) S. Cooper, Dict. of surgery. 34) *Darstellung bl. heilk. Oper. I.*

Rustiana [35]) acus (No. XIII. b.) a priore in eo differt, quod primum in mucrone magis est curvata, quo melius circulum formet in arteria capienda (sunt verba ipsius inventoris), et minimam carnis vicinae particulam includat, deinde haud procul a foraminulis sulco est praedita, in quo filum lateat.

Scarpiana acus, quam ex descriptione tantummodo nosco, tantopere cum Zangiana et Rustiana convenit, ut eae pro mutationibus Scarpianae habendae videantur.

Homiana [36]) acus (No. XIV.) ab ea, quam Bromfieldius [37]) sexaginta abhinc annis publici iuris fecerat, minime diversa est, et quoad formam cum cochleari Davielis maximam offert similitudinem. Prope apicem foraminulum conspicitur quadrangulum: manubrium ex Homii iussu ligneum, idque octangulum esse debet.

Quas Delpechius [38]), chirurgus Franco-gallus, et Caspari, medicus nostrae urbis Exper., nobis obtulerunt acus pro aneurysmatis operatione, eae sunt tenerrimae. Illa (No. XV.), argentea, lata, semicirculum format, in apice capitulum, foraminulum autem non in principio, sed in fine habet. Haec (No. XVI.) maior est, cylindrica, ex argento facta, amplum describit circulum dimidium, et in mucrone acuta est, ut pungere queat, in fine perforata.

Quam Figura XVII. nobis exhibet, acus aliquam habet similitudinem cum hamulo Bromfieldiano, hoc tamen discrimine, ut flexio bacilli minor sit, et prope acutissimum apicem foraminulum inveniatur oblongum: commoditatis causa totum instrumentum uti culter plicatilis complicari potest. Inventorem huius acus appellare non possum, quippe cum eam non nisi ex delineatione cognoverim.

Omnes omnino hucusque descriptae acus ita sunt comparatae, ut cuilibet arteriae submitti posse videantur: quas nunc Tibi, Lector, propono, eae complicatiores sunt, et pro diverso, quem inventores adsequi cupiebant, fine diversam quoque acceperunt figuram atque fabricam.

---

35) *Magaz.* 36) Savigny catal. instr. 37) Platner Suppl. 38) Clinique chirurg.

Ac primum quidem describere mihi liceat Weissianam (No. XVIII.) arteriis magnis et abditis, v. g. subclaviae, ligandis destinatam, a Froriepio Ill. [39]) delineatam, et mecum benevolentia Radii Viri Exp. et Eruditissimi communicatam. Hoc instrumentum difficillime describendum tribus partibus constat: 1) acu, 2) portatore acus, 3) forcipe solvente.

*Acus* (1) brevis, plana et elastica, foramen amplum ($\alpha$) et oblongum, apicemque crassum, cum foraminulo, in quod forceps intret, habet.

*Portator acus* (2) a c usque ad d cavus est, ut acum recipiat, et a d usque ad e fissus, quo acus in cavitate locum inveniat, et per fissuram filo possit instrui. In centro portatoris axis f est, circa quem segmentum manubrii forcipis vertitur.

*Forceps* (3) ea longitudine esse debet, ut segmento $\alpha$ axin f recipiat, elater h vero partem acus obtusam $\beta$ iuste capiat, et una cum filo ex portatoris cavitate extrahat.

Cum hocce instrumento uti volumus, apex acus ($\alpha$) in portatoris canalem (c) inducendus est, deinde funiculus foraminulo acus per fissuram (e) immittatur, ut ligatura in externo portatoris latere in conspectum veniat. Tum acu sub arteriam ducta forceps deorsum inseratur, donec segmentum ($\alpha$) axin (f) amplectatur, postea digitus partem manubrii (i) aliquantum premat, ut apex forcipis partem acus obtusam ($\beta$) capiat. Denique index et pollex partem manubrii reflexam (l) teneat, et deorsum trahat, ut elater una cum ligatura exeat, quo facto ligatura discindatur. Quando acum a forcipe liberare volumus, forceps paululum versus latus torquendus est.

Instrumentum Zangianum (No. XIX.) ligationi arteriae pudendae communis cum aneurysmaticae tum vulneratae dicatum bacillo simplici (a) constat, in cuius fine acus (b) pollicem longa, in apice foraminulo (c) instructa, sub angulo acuto adfixa est. Quod instrumentum, quando adhibetur, ita vertendum est, ut acus ossis ischii tuberositatem respiciat, et

---

39) *Notiz.* No. 93.

arteriae dictae cum partibus proximis iunctim possit submitti, quo facto instrumentum reducitur, filum solvitur, iustoque modo vincitur.

Cum haec scripsissem, ecce! duarum acuum recentissime inventarum notitia mihi contigit. *Alteram* Langenbeckianam (No. XX.) favori D'Alnoncourth, qui nunc cognitionis medicae, apud nos collectae, magis augendae causa Gottingae degit, debeo, cui cum Desaultiana summa est similitudo, quia, si applicare velis, elater (g) in canali argenteo quadrangulo (A) latens ansae (f) ope propellitur, ut filum hamulo (e) possit immitti et elateris retracti auxilio arteriae submitti. Latus canalis externum purgationis causa apertum.

*Altera* Prevostii (No. XXI.), in diarii Edinensis Volumine LXXIX nobiscum communicata (a) adeo subtilis est, ut sine tenaculo (b) adhiberi nequeat, formam hamuli piscatorii monstrat, apicem habet conicum, et imprimis in iis locis ex inventoris mente in usum vocari debet, ubi ob spatii angustiam parva tantummodo incisio instituenda, tamen arteria valde recondita liganda est. Tota huius acus ope agendi ratio maxime est artificiosa, quare lectores eius accuratius cognoscendae cupidos ad librum ipsum relegare me oportet.

Plures forsitan erunt, qui quaerant, quare haec omnia attulerim, et in colligendis et describendis tot instrumentis, quae, si vera fateri volumus, ad unum omnia redeunt, tantam operam consumserim. Hisce duo, quae respondeam, in promtu sunt. Primum, instrumentorum chirurgicorum haec est indoles, ut non raro minima eorum mutatio maximam habeat ad usum utilitatem. Cuius quidem rei probandae causa ad unum ceratotomum Beerii provoco, qui, quamquam vix a Barthiano differt, nihilominus tamen respectu utilitatis habito, ipsi palmam praeripit. Deinde (et hoc caput rei est), cuilibet, qui historiam chirurgiae adamat, gratissimum esse debet, omnia haec, qualiacunque sint, in unum collecta conspicere et sic cognoscere placitorum diversitatem. Quod ad me attinet, equidem cuilibet instrumento, quo simplicius illud est, eo maiorem utilitatem tribuere soleo, quoniam aeque facile ab artifice construi, ac a chirurgo adhiberi potest. Ob hanc simplicitatem, nec non capituli rotunditatem, et

foraminuli denique amplitudinem COOPERIANUM ceteris mihi praeferendum esse videtur.

B. Quemadmodum in inveniendis mutandisque his instrumentis magnam industriam posuere chirurgi, ita quoque in filorum ad arterias ligandas aptorum et materia et forma a se invicem recesserunt. Ac *primum* quidem, quod ad *materiam* pertinet, plurimi linea, alii, uti LAWRENCIUS, sericea, alii chordas, uti COOPERUS, quas paulo serius LAWRENCIUS quoque adhibuit, commendarunt, alii denique, v. c. BECLARDUS [40]), inter cuiuscunque tandem materiei fila nullum omnino discrimen intercedere crediderunt. Cum in hac tanta opinionum discrepantia, quod verum esset, cognoscere cuperem, usus sum opportunitate, quam tristissima nuperi belli tempora, praeprimis post proelium ad nostram urbem commissum mihi suppeditarunt, ubi in nosocomiis militaribus vasorum ligandorum ansa mihi saepissime praebebatur. Nunc linea, nunc serica adhibui fila, ac repetitis vicibus linea a duodecimo die usque ad decimum quintum, rarius a decimo sexto ad vigesimum usque, serica vero multo serius a vasis fine discedere et eiici observavi. Remanebant interdum fila haec per sex adeo septimanas et diutius adhuc in vulnere. Causa huius vel citioris vel serioris excretionis in eo, nisi fallor, posita videtur, quod linea post breve tempus, serica autem fere nunquam putredine corripiantur. Exinde in hanc ego adductus sum sententiam, in vulnere per primam intentionem sanando linea, ubi vero spes celerioris sanationis abest, v. c. in membris amputatis, vel post operationem aneurysmatis, sericea fila usurpanda esse. Plurimum enim abest, ut Anglis et Franco-Gallis fidem habeam, cum huiusmodi vulnera per primam intentionem sanata fuisse affirmant. Etenim cum utriusque nationis nosocomia frequentarem, tam felici mihi esse non contigit, ut talium sanationum testis esse possem. ROUX ipse in libello suo [41]) ingenue

---

40) AMMON, *Parallele der französ. u. deutschen Chirurgie*. Leipz. 1823. pag. 349. BECLARDUS modo lanea, modo crioxylina, modo denique serica fila in usum vocavit, eorumque ad vulnera rationem eandem fere esse observavit. 41) Mémoire et observations sur la réunion immédiate de la plaie après l'amputation circulaire des membres dans leur continuité, et spécialement après l'amputation de la cuisse. Par. 1814. pag. 3.

fatetur, verba „*réunion immediate primitive ou par première intention*" haud ita stricte esse intelligenda. Alio loco [42]) disertis verbis, „*post membri amputationem vulneris suppurationem vitari non posse*" concedit. Chorda, quam in cadavere saepius in usum vocavi, licet summa cum diligentia constringatur, tamen ob nimiam lubricitatem facillime iam ante operationem finitam delabitur, ac omnium minime commoda, ideoque in vivo corpore non adhibenda esse videtur.

Communis chirurgorum fuit, et ab antiquis ducta opinio, *formam* fili latam, fasciolaeque similem omnium esse fini nostro aptissimam. Qua de causa in omnibus antiquioribus compendiis chirurgicis, v. c. Callisenii [43]), arteriam vinculo latiori, ex pluribus filis ceratis confecto, circumdandam esse atque constringendam legimus. Quod praeceptum quo sanctius a maioribus nostris est servatum, eo magis nunc Ionesii, chirurgi Angli, sententiam mirati sumus, qua felicem ligationis eventum solummodo a fili rotunditate pendere credidit. Nova is experimenta in animalibus de industria, et in hominibus fortuito casu vulneratis instituit, eaque postea splendido anatomiae lumine adhibito illustravit. Quae enim iam antea Desaultius et Thomsonius opinati erant, tunicam arteriae mediam intimamque a ligatura discindi, superficies vulneratas sibi invicem apponi, sanguinisque motum in clausa arteriae parte cessare, idem Ionesius magna experimentorum copia probavit, unde hanc tunicarum separationem eo perfectiorem esse, eoque certius inflammationem adhaesivam, ad cicatricem formandam maxime necessariam, gigni, quo magis ad formam cylindricam accedat filum, et quo firmius constringatur, sibi habet persuasum. Addit denique, se contra aliorum opinionem, qui ampla vasa crassis, tenuia vero tenuibus constringi velint filis, in ea versari sententia, vasculum, quo maioris sit amplitudinis, eo tenuiori circumdari debere vinculo, et versa vice. Summam suarum disquisitionum non temere excogitatarum, sed ex fideli et indefesso naturae studio haustarum

---

42) l. c. p. 7. 43) Systema chir. hodiern. Edit. noviss. I. 1028. 1029.

in commentatione peculiari tripartita [44]) exposuit, quae, cum animadversiones haud parvi pretii contineret, a plurimis chirurgis valde probata est. Nihilominus tamen alii partes contrarias strenue tuentur, inter quos Car. Bellium eminere puto, qui post Ionesii repetita experimenta, in explicatione eventus ita a Ionesio discedit, ut in summa experimentorum similitudine maximam decretorum inde pendentium diversitatem locum habere posse adfirmet. Ac primum quidem Bellius acriter impugnat Ionesii conamina parietes internos vasorum disrumpendi, eaque plane reiicit, ne vulnera lacerata efficiantur, quibus nil magis in chirurgia pertimescendum sit, ac probare conatur, hanc dilacerationem tunicarum minime esse necessariam, sed potius impedire unionem parietum: deinde arctam fili constrictionem damnat, et ad experientiam provocat, quae ipsum docuerit, vel laxissimam funiculi applicationem ad hunc finem sufficere: formam denique fili cylindricam minime laudat, sed consuetam potius retinendam esse censet [45]).

Equidem, cum horum auctorum doctrinam comparassem, et quo meo ipsius usu cognoscerem, quid inter amplum ac tenerum, nec non inter latum et rotundum filum discriminis inveniretur, plura pericula feci, ex quibus hasce ligaturas in omnibus inter sese convenire intellexi, saepiusque vidi, quodvis filum vel latissimum, ligandae arteriae adhibitum in rotundum mutari. Quocirca a recepta consuetudine non recedo, sed maiores arterias amplis, parvas teneris ligo-filis, nec unquam noxam exinde ortam esse perspexi. Quam quidem sententiam Beclardum [46]) etiam amplecti laetor.

Filorum *applicatio* mihi quidem in *simplicem* et *compositam* dividi posse videtur [47]). Qui priorem defendunt, filum acus foraminulo immissum arteriae subducunt, nodum simplicem nectunt, eumque vel altero nodo, vel laqueo addito

44) A treatise on the process employed by nature in suppressing the hemorrhage from divided and punctured arteries: and of the use of the ligature, etc. by J. F. D. Jones, Lond. 1805. 45) Surgical observations, part. 3. Lond. 1817. pag. 259. 46) Ammonis l. l. eadem pagina. 47) Inter omnes Lambertus mihi minime audiendus videtur, qui arterias laesas perinde ac aneurysmaticas suturae circumflexae auxilio sanari posse arbitrabatur.

firmant. Qui posteriorem praeferunt, adminiculum quoddam, felicioris exitus causa, ab illis pro inani habitum, adiungunt, idemque maxime necessarium esse credunt, quia simplicem fili constrictionem fini optato adsequendo imparem habent. Hisce adnumerandi sunt omnes, qui arteriam supra saccum aneurysmaticum duabus circumdant ligaturis, ita ut inter eas spatium pollicem aequans intersit, deinde arteriam dissecant, quo eius partes sese melius contrahant. Quae agendi ratio imprimis in Britannia fuit usu recepta, et a variis vario modo peracta. Clinius v. c. ligatura facta utrumque fili finem in acus foramen inserit, illudque per arteriam acus ope sub ligatura superiore perforatam ducit, novumque nectit nodum, deinde idem repetit supra ligaturam inferiorem, quibus factis arteriam dissecat. Cuius quidem agendi rationis causam Clinius hanc addit, quod saepius haemorrhagiam secundariam a filo immature delapso ortam observaverit, quam postea, suam methodum secutus, semper felicissime praecaverit. Neque vero numero chirurgorum, qui compositam ligaturam praeferunt, eximendus est Hunterus, qui procul a sacco aneurysmatis quatuor ligaturas securitatis causa in usum vocavit, quarum duae arcte, duae vero (*ligature d'attente Gallorum*) laxe applicantur. Lawrencius, vir mea laude longe maior, mihique ob fraternam fere, quam in me contulit, benevolentiam carissimus, in commentatione peculiari [48]) suam nobiscum communicat ligandorum vasorum methodum, quae a Ionesiana modo parum recedit, addita tamen observatione, fila e regno animali desumta illis, quorum materiam regnum vegetabile suppeditat, praeferenda esse, quapropter fila sericea, singulari modo parata, tanquam tenacissima, ac simul levissima adhibet, tenuibus vasis crassa, amplis autem tenuia iniicit, eorumque fines proxime ad nodum abscindit, ut tota ligatura partis sexagesimae grani pondus haud excedat, speratque fore, ut sanatio per primam intentionem hac via melius, quam ullo alio modo promoveatur. Nec minus laudat chordae usum, quae aut sensim sensimque eiiciatur, aut potius omnino absorbeatur, id quod filis e vegetabili

---

48) Medico-chir. Transact. Vol. VI. pag. 156.

regno depromtis usurpatis non fieri soleat. Plures celebres chirurgi hanc vasorum ligandorum rationem optimo cum successu secuti sunt. Inter quos imprimis Beni. Traversius [49]) eam tanto cum plausu excepit, ut statim pericula in arteriis laesis institueret, fila autem post aliquot horas adimeret, quod quo commodius fieri posset, non verum nodum, sed laqueum nectebat, qualem nos ante venae sectionem applicare solemus, et quem Angli nodum currentum [50]) appellare solent. Hanc vasa ligandi rationem postea Lawrencius, Traversius atque Delpechius [51]) ad operationem aneurysmatis felicissimo cum successu transtulerunt.

Antonius Scarpa chirurgorum Italorum facile princeps longe abest, ut cum his viris consentiat. Etenim in ligandis arteriis aneurysmaticis nil peius, quam tunicae mediae et internae discissionem accidere posse censet, quippe quae sit praecipua haemorrhagiae causa. Quam ob rem singularem vasa ligandi modum invenit, maximis ab eo laudibus celebratum, cuius ratio haec est, ut particulam emplastri adhaesivi, in linteo extensi, convolvat, donec cylindrus aliquot lineas crassus sit formatus: hunc arteriae ligandae impositum simul cum arteria ligatura comprehendit, quae arteriae parietes invicem adprimit, et ut concrescant invicem, efficit. Quod quidem verissime locum habere, mea etiam me docuit experientia, nam arteria Scarpiano more vel arctissime constricta neque in eo latere, quod a cylindro tegitur, neque in opposito rupturam tunicarum praebuit conspiciendam. Quae quamquam ita se habent, hanc tamen Scarpae methodum omni vituperio superiorem non habuerim, illius praecepti, quod nos, quae paucis fieri possunt, non per plura efficere iubet, memor. Quapropter cum summam simplicitatem cum maxima securitate coniungere studeo, in filis applicandis Lawrencium prae ceteris sequor; non quod existimem, hac via vulneris unionem immediatam perfici posse, sed ut vinctura plagae sublevetur. Quid de chordae usu iudicem, iam antea exposui. Addendum mihi denique videtur, me unum

---

49) Med. chir. Trans. VI. 632. 50) ibid. Tab. V. fig. I. 51) Clinique chir.

tantum vinculum arteriae iniicere, quod sine noxa factum esse, ex hisce morborum historiis manifestum est.

Ne de *solvendo* quidem filo eiusdem opinionis sunt chirurgi. Olim enim nemo dubitavit, quin separatio ligaturae a natura medicatrice expectanda sit: ex quo vero Traversius [52]) sua promulgavit experimenta, nonnulli in oppositam abiere sententiam. Traversius enim pluries in animalibus arteriam vinculo circumdedit, quod cum post duodecim horas removisset, non sine laetitia animadvertit, vasculum lympha coagulabili repletum esse, unde spem concepit, fore, ut haec fili remotio magnam vim in sanationem vulneris habeat.

A. Scarpa [53]) in senibus ac debilitatis hominibus quinto, in iunioribus vegetisque vero quarto die filum tollendum esse docet, metuens, ne alias haemorrhagia secundaria vitae praesentissimum periculum inducat.

Vacca Berlinghieri [54]) fatetur, parietum unionem non semper eodem tempore fieri, et haemorrhagiam non nisi in hominibus, aegritudine aliqua laborantibus timendam esse, filique solutionem organismi viribus relinquendam.

Equidem Scarpae metum (quod pace Viri Illustris dixerim) vanum esse, eo magis iudico, cum Vir Illustris [55]) concedat, saepissime nil interesse, num sustuleris ligaturam nec ne. Numquam ego filum arte separavi, neque ullam inde ortam observavi haemorrhagiam. Multo certiorem credo esse Vaccae sententiam, quippe cum naturam quoad tempus, quo ligaturam expellit, vix umquam easdem leges sequi videamus. Sic, ut etiam antea exposuimus, a duodecimo usque ad vigesimum nullum observavi diem, quo fila excidere non vidissem, et semel post sex septimanas demum ligaturam separatam fuisse vidi. Neque id mirum nobis videri potest, cum etiam post reclinationem cataractae resorptionem in hoc aegroto cito, in alio lente procedere sciamus? In femina quadragenaria, olim morbo syphilitico affecta, cataractam reclinavi, lens in cameram anteriorem prolapsa indies magis magisque imminuta post paucas septimanas sese oculis meis

52) Med. chir. Trans. VI. 632. 52) *Sammlung einiger Abhandl. von* Scarpa, Vacca Berlinghieri *und* Uccelli *über die Pulsadergeschwülste. Aus d. Ital. durch* Seiler, *Zürich* 1812. 54) l. l. p. 60. 55) l. l. p. 87.

penitus subduxit. In infantibus, quamvis in his resorptio celeriter procedat, tamen contrarium sese mihi obtulit; nam post plurium mensium spatium lens ne minime quidem mutata inveniebatur. Quid dicam de unione ossium fractorum? In Iudaeo quodam sexagenario collum ossis femoris fractum vix quinque septimanis praeterlapsis ita denuo coaluerat, ut vir nosocomio valedicere, pedibusque sani hominis more uti posset.

Ceteroquin mihi persuasum est, haemorrhagiam illam serius accedentem nec a ligationis ratione, nec a morbo ullo latente, nec denique ab omissa fili separatione, sed maxime a nimia rami lateralis vicinia oriri. Car. Bellii[56]) experimenta enim probavere, lympham coagulabilem a vinculo incipere, sed ultra arteriolam lateralem proximam non extendi, qua de causa caveri debet, ne in propinquitate rami deligemus arteriae truncum.

VII. Profiteor, me iis minime adsentire, qui, quo maturius perficiatur aneurysmatis ligatio, eo tutiorem eam esse adfirmant: contra ea equidem soleo, quantum fieri potest, hanc operationem differre, quo vasa dilatentur lateralia, quod imprimis in iis accidit, quae ossi proxima sunt, uti exemplar in theatro nostro anatomico asservatum luculentissime monstrat. Quam mutationem vasorum felicissimam evenisse, optime cognoscere poteris, cum arteriae sub tumore aneurysmatico sitae micatus cum illis arteriae eiusdem in altero latere comparaveris.

---

56) l. l. p. 263.

---

## *Iconum explicatio.*

Cum fere omnes figurae in Tab. aen. conspicuae in libello ipso sint explicitae, paucae tantum hic explicandae restant:

Tab. I.

Prope No. I. et II. figurae parvae curvatae horum ipsorum instrumentorum faciem convexam et sulcatam significant. Sub instr. Rava-

toniano cochlea tam sola, quam cum trabecula coniuncta in conspectum venit.

Tab. II.

XI. c. Canaliculus instr. Wattiani cum elatere latente.

Tab. III.

XII. b. Arcus instr. Dupuytreniani.

Tab. IV.

XX. A. Facies externa canalis quadranguli instr. Langenbeckiani. g. Elater eiusdem instr. XXII. Digitus digitali armatus, cum duobus annulis acus Prevostianae receptioni dicatis.

# II.

## *Arteriae subclaviae dextrae deligatio.*

---

### Particula I.

(Quaestionum chirurg. Particula XIV.)

---

Quamquam certissimum sit et extra omnem dubitationis aleam positum, morborum iusto modo curatorum ac feciliter sanatorum expositiones, quibus plerique libri medico-practici abundant, medicis imprimis iunioribus haud leve afferre commodum, confiteor tamen, descriptiones illorum morborum, qui infelici exitu sive in alia mala transibant, sive morte finiebantur, multo utiliores mihi videri, quippe quae deplorandam medicae scientiae tenuitatem viriumque nostrarum imbecillitatem ante oculos nostros ponant, salutarem dubitandi artem nos doceant, vanitatem nostram ridiculam frangant, et indefessum denique summae modestiae studium nobis maiorem in modum commendent. Qua de causa hanc morbi tristissimi, gravissimi, omnesque artis conatus deludentis historiam cum lectoribus communico, sperans fore, ut nonnulli certe aliquem exinde percipiant fructum.

Iuvenis viginti duorum annorum, maiori et robusta statura et eximia valetudinis praestantia praeditus, cuiuscunque morbi olim superati ignarus, largoque hilaritatis viatico dotatus, atque aequissimo iure summam vitae longinquitatem sperans, decima Februarii die huius anni*) hora septima matutina in pugna singulari vulnus postea accuratius describendum acceperat. A medico sedulo deligatus hac ipsa die sic satis tolerabiliter sese habuit, noctu autem, cum impatientia ductus brachium dextrum muro allisisset, dolore est

---

*) MDCCCXXXIV. E.

affectus. Postridie hora sexta vespertina inquietudo aegroti et nimii in alvo deponenda conatus haemorrhagiam ex vulnere provocarunt, ab Experientissimis Franckio Bockioque non nisi aegerrime sedatam. Equidem hora septima in consilium vocatus aegrotum in lectulo sedentem, vestimentis omnibus praeter indusium exutis, amiculo cubiculario tectum, brachium dextrum autem nudum pulvino lectuli laterali superimpositum inveni. Exploratio externa haecce obtulit:

1) Vulnus triangulare inter humerum dextrum ac thoracem, cuius introitus in spina tuberculi maioris pollicem a musculi pectoralis maioris insertione abfuit. Aegrotus retulit, hanc plagam instrumenti acuti triquetri impetu brachio extenso et elato sibi punctim esse inflictam, et pauxillum modo sanguinis edidisse.

2) Tumorem ingentem circumscriptum, in dextro thoracis latere conspicuum, musculi pectoralis maioris insertiones accurate describentem, cuius integumenta communia, licet tensa ac dura essent, calorem naturalem tamen retinuerant, nec ulla violentiae externae signa prae se tulerunt.

Experientissimus Bockius, qui paulo ante explorationem internam susceperat, haecce mihi tradidit: „Canalem vulneris a margine m. pectoralis maioris inferiori incipere, in ventre huius musculi repere, distantiam a superficie eandem semper obtinere, versus triangulum clavipectoralem adscendere, claviculam ipsam autem non tangere, ita ut haemorrhagia ex prima ac secunda arteria thoracica externa in musculo pectorali latente, haud procul ab ipsarum ex axillari arteria origine provenisse, ac tumorem inter musculum pectoralem ac thoracis parietem effecisse videretur.“

Haemorrhagiam brevi ante meum adventum praegressam, nunc vero cohibitam, largissimam fuisse, ex sanguinis copia in vestimentis, linteis, lectulo et cubiculi pavimento collecta suspicari, animum violati autem mirifice commotum esse, ex pluribus indiciis certo cognoscere potui. Facies enim licet palleret ac frigido maderet sudore, vultus tamen torvus fuit et distortus, oculi rotabantur, membra iactabantur; aegrotus gravia suspiria ex imo pectore emisit, exclamationes edidit, rem non solum suspectam, sed potius se

omnino perditum esse dictitavit, qualiacunque consolationis argumenta atrociter reiecit, nostrisque praescriptionibus ab initio se subiicere noluit. Arteriarum carpi dextri micationes sentiri non potuerunt.

Cum nullum adesset haemorrhagiae vestigium, et iterata exploratio vulneris interna non solum inutilis, sed potius periculosa videretur, ab ea abstinui, et in commendanda aqua kreosotica acquievi, quae a ceteris medicis probata adhibebatur. Plagae aeque ac tumori lintea multipliciter compressa remedio commemorato humectata superimponebantur, et duplici spica axillari, crebrius quam arctius circumducta, et cuneo linteo inter humerum atque costas, quemadmodum in Desaultiana claviculae fractae deligatione, interiecto, in ordine retinebantur. Aegrotus in lectum translatus ac reclinatus ad summam tum animi tum corporis tranquillitatem servandam admonebatur, et duumvirorum medicorum iuniorum ipsi deditissimorum curae traditus est. Potio nitrosa praescribebatur.

*D.* 12. *Febr.* Aegrotus etiamsi non dormiverat, noctem tamen quietus transegerat, dolores locorum vexatorum mitigati fuerunt, brachium non tumidum, digitorum nec sensus nec motus perturbatus inveniebatur. Sitis expleri haud potuit: idem moeror, eademque mentis oppressio, uti hesterna die, aegrotum anxit, quilibet tussis paroxysmus brachii dolorem revocavit.

*Vesp.* Miserandus iuvenis, postquam pauxillum intritorum ex aqua et saccharo cum succo citri sumsisset, per horae spatium dormiverat, ceteroquin omnia in eodem tramite perstiterunt, sanguinis effluvium minime adfuit.

*D.* 13. *Febr.* Aegrotus ab initio noctis horrore correptus, deinde incaluerat, paulum deliraverat. Cum sanguinis profluvium esset suppressum, dolores non urgerent, digitorum sensus motusque esset illaesus, aegrotus spem vitae servandae concepit. Nihilominus tamen tussis vehementia ac pulsus ratio, nec non respirationis difficultas venaesectionem in brachio sinistro necessariam reddidit, qua instituta aegrotus dolorem in brachio dextro accusavit. Aquae kreosoticae exhalationes quoniam molestiam parabant, tussimque augebant,

hocce medicamentum seponebatur. Somno meridiano capto et per horam integram continuato aliquantulum refectus, ambulare conatus est, sed virium languore intermortuus fere concidit. Hora eiusdem diei septima vespertina ad nosocomium civile transportatus meaeque curae traditus, ita collocabatur, ut brachii dextri nulla fieri posset perturbatio: duo medici iuniores ipsum sponte custodiebant. Deligatio sedulo explorata nullum haemorrhagiae signum nobis obtulit. Medicamentum nitrosum continuabatur.

*D.* 14. *Febr.* Etsi deliria, sitis ac tussis noctem insomnem reddiderant, aegrotus tamen sedata animi emotione spem non abiecit. Arteriarum pulsus parvi, celeres ac duriusculi fuere. Illustris Clarus pro solutione nitri emulsionem, et tussis sopiendae causa: Extr. Hyoscyami gr. iv cum Syrupi opiati ℥j ordinavit.

*D.* 15. *Febr.* Nocte misera transacta dolores, pectoris oppressio et immodica potulentorum cupido maximopere vexarunt aegrotum, lintea plagam obtegentia lympha effusa madebant, brachium dextrum oedemate fuit inflatum, digiti sensu motuque destitui coeperunt. Deligatione soluta musculi pectoralis dextri tumorem erysipelate correptum, calorem auctum, vulnus siccum sub levi compressione humorem lymphaticum edere, pulsum hesterno similem reperimus, tumori gossypium imposuimus, deligationi arctiori substituimus laxiorem.

*Vesp.* Nulla adfuit conditionis mutatio. Aegrotus cibos recusavit, prognoseos ambiguitatem cognoscens tristissimus fuit, sibique certam quandam mortis praesensionem esse asseruit.

*D.* 16. *Febr.* Augmentum doloris somnum abstulerat, tumoris magis circumscripti volumen, durities ac dolor venaesectionem postulare videbantur, phaenomenis vero minutis, obstructione alvi autem urgente electuarii lenitivi ℥j praescripsimus, pectori brachioque sacculos farina repletos imposuimus.

*D.* 17. *Febr.* Noctem pessimam dies suscepit tristissima. In tumore hodie altiori et angustiori haud procul a papilla fluctuatio instantem suppurationem indicavit, cuius promovendae causa emplastrum diachylon compositum cum emplastro Meliloti in usum vocavimus.

*Vesp.* Humeri tumor et rigor, sensusque hebetudo in digitis magis magisque augebatur.

*D.* 18. *Febr.* Symptomatum turba non minuta est, tussis imprimis aegrotum misere exercuit, doloresque pectoris brachiique vehementiores reddidit, tumor elevatus est, eiusque integumenta communia rubore obscuro sunt suffusa. In brachio in plagae commemoratae vicinitate locus fluctuans, abscessum instantem significans, apparuit. Cataplasma pectori applicatum dolorem lenivit. Emulsioni potio tamarindorum sufficiebatur, et vespere clysma iniiciebatur.

*D.* 19. *Febr.* Dies hodierna hesternae fuit simillima, digitorum sensus magis extinctus est, arteriarum micatio in antibrachio fere prorsus desiderabatur. — Electuarium lenitivum.

*Vesp.* Alvum deposuit aegrotus.

*D.* 20. *Febr.* Fluctuatio in pectoris superficie orta ad humerum et brachium transiit, ibique cataplasmatis applicationem necessariam reddidit.

*D.* 21. *Febr.* Doloris tussisque saevitia una cum tumoris pondere somnum profligaverat, loci fluctuantis parietes reperiebantur tenuiores, et emplastro commemorato emplastrum de cicuta addebatur.

*D.* 22. *Febr.* Tristissima fuit aegroti conditio. Partium affectarum dolores ac tensio una cum tussi miserandas lamentationes provocarunt. Ex tumoris ubicunque fluctuantis colore prorsus mutato sanguinem in ipso delitescere suspicati sumus. Brachii plaga humorem lymphaticum guttatim evomuit. Pultem ex melle ac farina secalina paratam pectori adhibuimus, qua aegrotus levatum se credidit. Brachium immensum in modum intumuit, calor naturalis in eo remansit, sensus autem et arteriarum pulsus nunc vere evanuit.

*D.* 23. *Febr.* Per horae circiter spatium dormiverat aegrotus, maximeque flagitavit pultis hesternae, quae ipsi dolorem auxisse videbatur, remotionem, quapropter ad cataplasma prius regressi sumus. Tempore meridiano locus in brachio fluctuationem prodens ruptus est, largamque ichoris copiam eiecit, brachii tamen tumor non collapsus, sensus vero aliquantisper emendatus est, tussis miserum crudeliter confecit.

*D.* 24. *Febr.* Nox insomnis, ichoris effluvium perseveravit, levamen autem non attulit. Animus modo laetitia et spe elatus exultavit, modo tristitia et metu fractus torpuit; respiratio difficilis fuit et brevis, tussis ne syrupi opiati quidem ope sedanda dolores pectoris et inquietudinem ad altissimum perduxit gradum. Continuabantur omnia.

*D.* 25. *Febr.* Insomnia, tussis violentia, perpetuum ichoris ex brachii plaga profluvium aegrotum vehementer turbarunt. Pro potione tamarind. emulsio oleosa praescribitur.

Hora undecima antemeridiana dirissimus tussis impetus haemorrhagiam ex illo brachii ostiolo sponte nato provocavit, ab initio passivam, deinde activam, nec nisi forti compressione coërcendam. Cum in hac desperata aegroti conditione in quacunque auxilii retardatione certissimam mortis accelerationem conspicerem, invitus quidem, sed Celsianae admonitionis memor, „*anceps remedium melius esse*, *quam nullum*,“ et aliorum chirurgorum, v. c. Postii, Mottii, e. s. p. auctoritate confisus, deligationem arteriae subclaviae dextrae, ne omnino desertus videretur aegrotus, suscipere decrevi[1]). Aegrotus in sedili elatiori collocabatur, Experientiss. Bockio Franckioque assistentibus. Duas institui integumentorum communium incisiones, alteram perpendicularem, inter musculos scalenos, alteram horizontalem, in margine claviculae superiore ductam, ita ut formam litterae latinae T inversae (⊥) describerent. Panniculos cutaneos a musculis solutos revolvi, deinde seposito scalpello digitis tantummodo viam inter musculos paravi, donec ad arteriam subclaviam pervenirem, quod non nisi musculo scaleno anteriori transversim dissecto fieri potuit. Ligatio arteriae propter perpetuum lipothymiae reditum difficillima fuit. Encheiresi finita summa accessit debilitas, sanguinis profluvium cessavit, frons aegroti repente erat explicata, animus fere hilaris. Brachium frigore cor-

---

1) Si quis forsitan me reprehendat, quod hanc encheiresin non prius perfecerim, huius cunctationis excusationem haud difficile est inventu. Nemo credo medicorum tanta erit temeritate, ut eiusmodi gravissimam, difficillimam et periculosissimam operationem, cuius exitum vel in homine ceteroquin sanissimo maxime ambiguum esse, experientia docuit, absque summa urgente necessitate perficere audeat.

reptum panno laneo involvebatur, manus fricabatur, pulsatio plane abfuit.

*D.* 26. *Febr.* Nox antecedenti fuit simillima. Parietes tumoris thoracici hic illic sphacelo correpti adeo tenues fuere, ut eorum diruptio proxime instare videretur.

*Vesp.* Epidermis tumoris evanuerat, et ex ostiolis apertis serum effluxit: deligatio vulneris arte facti sicca reperiebatur. Syrupo opiato substituebatur: ℞. Morphii acetici gr. j, Syrup. simpl. ℥j. Deinde: ℞. Elix. acid. Halleri ʒjj, Syrup. Rubi idaei ℥j, Aquae eiusdem ℥jjj. M. S. *Einen Theelöffel voll mit einem Glase Wasser zu vermischen.*

*D.* 27. *Febr.* Nox insomnis fuit, circa horam quartam matutinam tumor, tussis impetu ruptus, libras circiter quatuor lymphae cum cruore mixtae effudit, atque collapsus est, pectoris oppressio aliquantulum minuta, aegrotus spei locum praebere videbatur. Duo incommoda ingentem ipsi parant molestiam: decubitus in ossis sacri regione semioboli magnitudine, et ichoris effluentis foetor; illi emplastro aromatico imposito, et pelle capreoli supposita, huic orario aceti aromatici ℥jjj Vini rubri, Aquae fontanae āā ℥vj madefacto, et in lodice expanso succurrere studuimus.

*Vesp.* Phaenomenorum tumultus perseveravit, tussis ferocitas aegrotum crudeliter vexavit.

*D.* 28. *Febr.* Tumultuosa ac terrifica somnia aegrotum agitaverant, tussis et sitis urgebat, animi demissio praevalebat, ichoris profluvium abundabat. Tumoris integumenta plura nobis offerebant ostiola, e quibus panniculi telae cellulosae corruptae facillime extrahi poterant, ita ut fibrae musculi pectoralis conspicerentur. Foetoris compescendi causa Dauci carotae rasura cum farina mixta pectori imponebatur. Potui pulverem refrigerantem addidimus.

*Vesp.* Deliria suavia, brachii dolores ac tussis noctem pessimam praenuntiabant. Aegroti gravissimus metus in certissimam transiit desperationem. In carpo dextro levissima pulsus vestigia adesse videbantur.

*D.* 1. *Mart.* Quae heri metueramus, ea vere facta esse, custos hodie testatus est, dolor brachii enim, ac tussis vel levissimum somnum fugaverat, sitis vehementia tam gravis

fuit, ut aegrotus coeca quasi appetitione potulenta atrociter flagitaret. Miserrimus iuvenis summa animi aegritudine cum perspicua virium defectione laboravit, et in lamentationibus tantummodo solatium quaesivit. Deligatione cautissime remota, linteo carpto in area cruenta relicto, suppurationem ex parco puris profluvio cognovimus.

Horae nonae vespertinae parte dimidia completa aegrotus dolores pectoris pungentes, et respirationis difficultatem accusavit, quapropter epithemata plantis pedum emollientia, et sinapismos suris applicavimus.

*D. 2. Mart.* Licet perpetua nocturna vigilia, deliriis coniuncta, diem miseram nobis minaretur, brachii tamen pectorisque dolor lenior, sensus in digitorum apicibus melior, tussis mitior fuit, et aegrotus tempore meridiano iusculi pauxillum ceperat. Circa horam tertiam pomeridianam quieti se dedit, et sanissimo somno frui videbatur, congestiones tamen sanguinis in partibus superioribus passus est, uti ex genarum rubore circumscripto colligi potuit. Hora quinta sua sponte expergefactus de aucta pectoris oppressione et respirationis difficultate conquestus est, et statim ex superiore vulnere sanguis erumpere inchoavit. Famulus adspectu aegroti reique novitate perterritus, nos omnes rei medicae peritos fortuito tum temporis in nosocomio praesentes convocavit, a nobisque auxilium petiit. Cum absque mora ad eum accessissem, sanguinis ab initio venosi ex plaga prorumpentis exitum compescere studui, sed tantum abfuit, ut voti damnarer, ut arteriosi quoque sanguinis impetus summi et inevitabilis periculi accessionem mihi praediceret. In hisce rebus omnino perditis a vi mechanica solum auxilium sperans digitum meum indicem sinistrum vulneri immisi, et vas apertum costae primae apprimere tentavi, sed spes me fefellit. Deinde acu Cooperiana aneurysmatis deligationi dicata arteriae ostium claudere studui, propositum autem meum non assequutus sum. Denique glomum ex linteo carpto confectum, agarico obductum, et Martis vitr. pulvere imbutum vulneri inieci, qui vero confestim sanguinis impetu expulsus est.

Inter hosce constantes et fidelissimos quidem, sed prorsus inanes vitae iuvenilis conservandae conatus plus valuit

arte malum. Oculorum enim vigor emoriebatur, sensus obtundebantur, et deplorandus iuvenis, nobis adstantibus, hora sexta vespertina audita animam efflavit.

Quae cadaveris sectio nos docuit, ea alio tempore cum lectoribus communicabimus.

---

# Particula II.

(Quaestionum chirurg. Particula XV.)

---

Posteaquam in prolusione decima quarta laesionis cuiusdam crudelissimae historiam cum lectoribus aestumatissimis communicavimus, necessarium est, ut promissa tunc exhibita solvamus, et hac occasione data ea, quae cadaveris sectio nos docuit, exponamus, atque medicorum publicorum sententiam iudicio traditam ipsissimis, ut dicunt, verbis adiiciamus:

## I.

## *Sectionsbericht.*

Es wurde zuvörderst die äussere Besichtigung vorgenommen, wobei sich Nachstehendes ergab:

1) Der Leichnam war vom Scheitel bis zur Ferse gemessen 6 Fuss 2 Zoll rheinl. Maass lang, vollkommen regelmässig gebildet, und mit sehr starken Knochen und Muskeln versehen.

2) Die äussern Integumente hatten die gewöhnliche Leichenfarbe, keineswegs aber das wachsgelbe Ansehen, wie man es nach sehr starkem Blutverlust wahrzunehmen pflegt.

3) Auf der hintern Fläche des Körpers, am Unterleibe und den Geschlechtstheilen fanden sich die gewöhnlichen Todtenflecke. An letzteren hatte das Scrotum und die Vorhaut ein grünes, den Anfang der Verwesung zeigendes Ansehen. Spuren einer syphilitischen Localkrankheit wurden nicht wahrgenommen.

4) Auf der rechten Seite der Brust fanden sich 3 länglichrunde Oeffnungen in den äussern Bedeckungen, durch

welche die äussere brandig gewordene Oberfläche der darunter gelegenen Muskeln sichtbar war, und aus denen sich eine dünne jauchige, etwas mit Blut vermischte Flüssigkeit ergoss. Die erste dieser Oeffnungen lag einen Zoll über der Brustwarze schräg aufwärts gegen das Acromion zu. Sie hatte die Grösse eines preussischen Achtgroschenstücks, und nach Unten und Auswärts eine kleinere Oeffnung von derselben Beschaffenheit und von dem Umfange einer grossen Erbse neben sich. Die zweite Oeffnung befand sich $2\frac{1}{3}$ Zoll von der Brustwarze nach Aussen und Hinten. Sie hatte den Umfang eines Sechsers, und es ergoss sich aus derselben die meiste Flüssigkeit. Die dritte Oeffnung befand sich $\frac{5}{4}$ Zoll unter der Brustwarze; sie hatte den Umfang eines kleinen Viergroschenstücks, und war durch eine schmale Brücke der äusseren Bedeckungen in 2 ungleiche Theile getheilt.

5) In dem Umfange dieser Oeffnungen und auf der ganzen rechten Seite der Brust hatten die äussern Bedeckungen eine schwarzgrüne Farbe, die sich von da an aufwärts nach der rechten Seite des Halses und abwärts nach den Lenden und dem Bauche bis in die Regio inguinalis herab erstreckte.

6) Der ganze rechte Arm war von den Fingern bis zur Achselhöhle hinauf ödematös und es liessen sich auf demselben mit dem Finger tiefe Gruben eindrücken. Sein Umfang betrug am Oberarm gemessen $\frac{1}{3}$ mehr, als der des linken Armes.

7) In der Achselhöhlengegend, da, wo der untere Rand des grossen Brustmuskels nach dem Tuberculum maius des Oberarmknochens herübergeht, und hart an und auf demselben sah man eine dreieckige Wunde, deren Spitze nach Oben und Innen, die Basis aber nach Unten und Aussen gerichtet war. Die Basis dieses Dreiecks mass 2, die Höhe $1\frac{1}{2}$ Linien. Durch diese Wunde war etwas Zellgewebe hervorgetreten, ein Ausfluss von Blut oder Eiter aber war selbst bei dem Drucke auf die benachbarten Theile nicht zu bemerken. Mit der Sonde liess sich der Kanal dieser Wunde aufwärts und einwärts verfolgen.

8) $1\frac{1}{2}$ Zoll abwärts von dieser Wunde auf der innern

Seite des Oberarms, ungefähr zwischen den Musculus triceps und coracobrachialis zeigte sich eine länglich-runde Oeffnung, 3 Linien lang und 2 Linien breit, von demselben Ansehen, als die oben beschriebenen Oeffnungen auf der Brust, durch welche, sowie bei jenen, die brandige Oberfläche der Muskeln sichtbar war. Es war solches diejenige Oeffnung, die sich am 15. Tage nach der Verwundung freiwillig gebildet und eine grosse Menge Blutes ergossen hatte.

9) An der rechten Seite des Halses, dicht über dem Schlüsselbeine befand sich ein Kreuzschnitt durch die äussern Bedeckungen, welcher in transversaler Richtung 4 Zoll 3 Linien und in senkrechter 3 Zoll betrug. Am innern und untern Winkel dieses Kreuzschnittes waren die Unterbindungsfäden für die Arteria subclavia und Vena iugularis externa durch Heftpflasterstreifen befestigt.

10) Es wurden nunmehr die äussern Bedeckungen auf der rechten Seite der Brust und am rechten Oberarme bis in die Subaxillargegend von den darunter liegenden Muskeln lospräparirt und zurückgeschlagen, und es fand sich hierbei, dass über den ganzen Umfang des grossen Brustmuskels und über einen grossen Theil des Serratus anticus maior das Zellgewebe sphacelös geworden war. In der Achselgrube befand sich viel ausgetretenes geronnenes Blut, und die Oberfläche der Muskeln hatte daselbst ebenfalls ein schwarzgrünes Ansehen.

11) Der oben beschriebenen dreieckigen Wunde entsprach ein schmaler Einschnitt am untern Rande des grossen Brustmuskels, durch welchen das verletzende Instrument in die Höhlung zwischen der hintern Fläche des Musculus pectoralis maior und den vom Schulterblatte und dem Rücken zu dem Oberarm gehenden Muskeln eingedrungen war.

12) Hier war der Stich aufwärts durch den Musculus coracobrachialis und bis dahin gelangt, wo von dem Plexus brachialis der Nervus ulnaris, radialis und medianus ausgehen und hatte hier die hinter dem Plexus brachialis liegende Arteria axillaris an ihrem obern und äussern Rande halb durchschnitten, ohne sie ganz zu durchschneiden, welches durch 2 nach Oben und Unten eingebrachte Sonden mit

vollkommener Evidenz nachgewiesen wurde. Weiter nach Oben verlief sich der Stich in dem unter dem Musculus pectoralis minor gelegenen Zellgewebe. Eine Verletzung der in dieser Gegend befindlichen grossen Venenstämme, ingleichen der daselbst abgehenden Seitenäste der Arteria subclavia und axillaris wurde nicht bemerkt.

Um nun die Wirkungen der durch die bisher beschriebene Verwundung nothwendig gewordenen Operation vollständig zu übersehen, wurden:

13) Die äussern Bedeckungen am Halse auf der rechten Seite zurückgeschlagen, um die darunter gelegenen Muskeln darzustellen. Es fand sich hierbei, dass der Musculus omohyoideus und der Scalenus anticus, um zu der Arteria subclavia zu gelangen, durchschnitten worden waren.

14) Nachdem hierauf auch noch das Schlüsselbein an der Extremitas sternalis und acromialis durchsägt und das Mittelstück herausgenommen war, fand es sich, dass die angelegte Unterbindung die Arteria subclavia wirklich umfasst hatte, und zwar in dem Zwischenraume zwischen dem Ursprung der Arteria cervicalis ascendens und der transversa colli, dicht an dem äussersten Rande des Musculus scalenus anticus. Ebenso war auch die Vena iugularis externa der rechten Seite etwas weiter auswärts 2 Mal unterbunden und zwischen diesen Unterbindungen durchschnitten worden. Die Unterbindungsfäden bestanden aus vierfachem, starken mit Wachs bestrichenen Zwirn. Uebrigens war

15) Der hintere Winkel des zu Behuf der Operation gemachten Kreuzschnittes bereits zum Theil durch die erste Intention verheilt, ausserdem aber die ganze Tiefe und weite Höhlung der Wunde mit geronnenem Blute und Jauche angefüllt, und die Oberfläche derselben grau und weissfarbig. —

Es wurde nunmehr zur Oeffnung der 3 Höhlen geschritten und es fand sich:

16) In der Kopfhöhle die harte Hirnhaut mit der innern Fläche der Schädelknochen nicht sonderlich fest verwachsen, die Sinus der harten Hirnhaut und Venen der weichen Hirnhaut nur wenig Blut enthaltend.

17) Das Gehirn im Verhältniss zur Grösse des Körpers

etwas klein, die Substanz desselben aber ziemlich fest und ohne organische Fehler.

18) Die Seitenhöhlen und die dritte Hirnhöhle mehr nicht als die gewöhnliche Menge von Feuchtigkeit enthaltend und sämmtliche in derselben gelegenen Theile natürlich beschaffen.

19) Auf der Grundfläche der Schädelhöhle ungefähr 3 Esslöffel voll blutiges Wasser; übrigens aber der Pons Varolii, die Hirnschenkel, das verlängerte Mark, das kleine Gehirn, die vierte Hirnhöhle und die Glandula pituitaria ohne Fehler.

20) Bei Eröffnung der Brusthöhle zeigten sich die Musculi intercostales auf der rechten Seite bis zum Zwischenraum der 4ten und 5ten Rippe herab, sowohl auf ihrer äussern als innern Oberfläche brandig.

21) Die Pleura costalis auf der rechten Seite mit einer Schicht coagulabler Lymphe überzogen, von welcher Ausschwitzung sich auch auf der Oberfläche der rechten Lunge, deren Spitze mit dem Brustfelle leicht verwachsen war, Spuren bemerken liessen.

22) Im rechten Sacke des Brustfells waren ungefähr 6 Unzen blutiges Wasser enthalten.

23) Die Lungen waren sehr schlaff, zusammengefallen und blass, übrigens aber völlig gesund und ohne Knoten.

24) Der Herzbeutel enthielt ungefähr 2 Unzen Wasser. Das Herz selbst war ausserordentlich schlaff und die Muskelsubstanz weich. Uebrigens fanden sich an denselben, so wie an den grossen Gefässen weder Erweiterungen, noch andere organische Fehler.

25) Sämmtliche Brustgefässe, selbst die Venen, enthielten sehr wenig dünnflüssiges Blut von blassrother Farbe. Von Polypen in den Herzhöhlen und grossen Gefässen war keine Spur vorhanden.

26) Im Unterleibe war ebenfalls etwas seröse Flüssigkeit, deren Menge nicht über 3 Unzen betrug, enthalten.

27) Der Magen war sehr gross und war, sowie die engen und weiten Gedärme, von Luft stark ausgedehnt, aber leer.

28) Die Milz hatte zwar die natürliche Grösse, ihre Substanz aber war sehr weich; ebenso war auch

29) Die Leber zwar von gewöhnlicher Grösse und Gestalt, aber von mürber Beschaffenheit und grauröthlicher Farbe, welche sich besonders am vordern Rande des grossen Leberlappens zu erkennen gab. Die Gallenblase war klein und enthielt nur wenig wässrige Galle.

30) Das Pankreas und noch mehr die Nieren waren ebenfalls von ungewöhnlicher schwammiger und weicher Beschaffenheit, die Harnblase aber gesund.

31) Sämmtliche Eingeweide des Unterleibs und selbst die grössern Gefässstämme enthielten nur sehr wenig Blut.

## II.

## *Gerichtsärztliches Gutachten.*

Aus vorstehender Krankengeschichte des Stud. F.... T........ und aus dem Sectionsprotocolle ergiebt sich, was den Grad der Tödtlichkeit der ihm beigebrachten Wunde anlangt:

1) dass die, nach Art. 7. 10. und 11. des Sectionsberichtes auf der rechten Seite der Brust durch die äussern Bedeckungen, den grossen Brustmuskel und den Musculus coracobrachialis bis in die Arteria axillaris eingedrungene Stichwunde, durch welche die gedachte Arterie an ihrem obern und äussern Rande halb durchschnitten worden war, für absolut tödtlich nicht zu achten sei, sondern dass vielmehr

2) die am 10. Tage nach der Verwundung und am 7. nach Unterbindung der Arteria subclavia eingetretene Blutung, welche binnen wenig Minuten den Tod zur Folge gehabt hat, nur als ein durch subjective Ursachen herbeigeführtes Ereigniss und mithin die obgedachte Arterienwunde selbst nur als zufällig tödtlich angesehen werden müsse.

---

Wir unterstützen diesen Ausspruch durch folgende Gründe:

1) Da die dreieckige Wunde in den äussern Bedeckungen nur 2 Linien breit und 1½ Linien hoch war, und da dieselbe nach Innen und Oben eine schräge Richtung hatte, übrigens auch durch die äussere Oeffnung derselben etwas hervorgetreten war (Sect.-Prot. 7. 10. 11.); so wurde unmittelbar nach der Verletzung die Blutergiessung aus der in beträchtlicher Tiefe angeschnittenen, aber nicht durchschnittenen Arteria axillaris nach Aussen gehemmt, so dass der Verwundete anfänglich nur wenig Blut verlor. Dieser Umstand kann in sofern als günstig für die Erhaltung des Lebens angesehen werden, als er eine augenblickliche, tödtliche Blutung verhinderte und Zeit gestattete, die Lage der Sache genauer zu untersuchen, und die zur Unterbindung der Arterie, als dem einzigen Rettungsmittel, nöthigen Anstalten besser vorzubereiten, als es im ersten Augenblicke möglich gewesen sein würde. Erst am folgenden Tage Abends erfolgte eine starke Blutung, nachdem der Verwundete eine schnelle Bewegung mit dem Arme gemacht und beim Stuhlgang sehr gepresst hatte. Zugleich bildete sich eine weit verbreitete Geschwulst unter dem rechten Brustmuskel, welche sich späterhin als ein Aneurysma diffusum zu erkennen gab. Dieses hatte sich wahrscheinlich am ersten Tage blos auf die zellige Scheide, welche die Arterie umgiebt, beschränkt, und erst in dem Augenblicke, als, durch die heftige Bewegung des Armes, die Lage der durchbohrten Theile verändert worden war, in den abwärts gelegenen und reichlich mit Zellgewebe versehenen Zwischenräumen der Muskeln verbreitet. Da das Aneurysma diffusum nicht bloss aus Verletzung des Hauptstammes eines Gliedes, sondern sehr oft auch aus einem Nebenaste zu entstehen pflegt; so war bei der Richtung, die das verletzende Instrument genommen hatte, die Vermuthung sehr natürlich, dass die erste oder zweite Arteria thoracica verletzt sein könne, und es war durchaus kein hinreichender Grund vorhanden, schon damals die Unterbindung des Hauptstammes zu unternehmen, weil man sich gegründete Hoffnung machen durfte, dass eine verletzte, kleinere Arterie sich zurückziehen, durch einen Thrombus verschliessen und das bereits ergossene Blut durch

Resorption oder Eiterung entfernt werden würde. Erst am 25. Februar, nachdem aus einer Oeffnung der Geschwulst am Arme, die sich am 23. freiwillig gebildet hatte, in Folge eines Hustenanfalls eine starke, erst venöse, dann arteriöse Blutung entstanden war, und die gewöhnlichen Mittel, sie zu stillen, nicht ausreichten, wurde die Unterbindung der Arteria subclavia an der einzigen Stelle, wo sie der Geschwulst wegen möglich war, nämlich über dem Schlüsselbein, sofort vorgenommen, und hierdurch der beabsichtigte Zweck wenigstens für den Augenblick glücklich erreicht.

Die Unterbindung der Arteria subclavia ist allerdings eine sehr schwierige und gefährliche Operation, allein sie ist mehrmals, z. B. von D. Post in Neuyork (Med. chir. Transact. Vol. 9. p. 185 ff.), von Rob. Liston (Edinb. med. and chirurg. Journ. Jul. 1820), von D. Arendt (Petersb. Abhdl. f. die Heilk. 4. Samml.), u. a. a. O. in Fällen, welche dem hier vorliegenden dem Wesen nach völlig ähnlich waren, mit dem besten Erfolg gemacht, und das Leben mehrerer Kranken durch sie gerettet worden. Wenn nun aber als absolut tödtliche Verletzungen nur diejenigen angesehen werden können, welche schlechterdings und unter allen Umständen jede Kunsthülfe ausschliessen; so fällt nothwendig für alle Wunden der Arterien, welche erwiesenermaassen irgend einmal durch Unterbindung eines Hauptstammes derselben geheilt worden sind, der Begriff der absoluten Tödtlichkeit hinweg, weil sodann die Ursache des Todes nicht mehr in der Lage und Natur der verletzten Theile selbst, sondern in Umständen, welche nicht wesentlich zur Wunde gehören und in Rücksicht auf selbige nur zufällig sind, gesucht werden darf.

2) Dergleichen Wunden können mithin, wenn sie auch schwer sind, doch immer nur für zufällig tödtlich angesehen werden, der Zufall aber, welcher den Tod herbeigeführt, besteht entweder darin, dass irgend ein Theil der nöthigen Kunsthülfe unterlassen, oder nicht gehörig ausgeführt worden ist, oder dass der Kranke sich schon vorher in einem Zustande befunden hat, der die Hülfe unwirksam macht, oder dass während der Heilung Einflüsse auf ihn

einwirken, welche den Erfolg derselben vereiteln. Da nun in vorliegendem Falle die Unterbindung der Arteria subclavia weder einen Augenblick früher, noch einen Augenblick später, als sie zur Rettung des Lebens erfordert wurde, gemacht, da durch dieselbe die gedachte Arterie wirklich am gehörigen Orte, nämlich dicht am äussern Rande des Musculus scalenus anticus umfasst worden, und die Pulsation der Arterie unterhalb der unterbundenen Stelle gleich nach der Unterbindung verschwunden war (s. die Krankengeschichte), übrigens auch der Kranke noch sieben Tage nach der Operation gelebt und Hoffnung zur Herstellung gegeben hatte, so folgt, dass die zufällige Ursache des Todes auch nicht mit irgend einem Grunde von Wahrscheinlichkeit der Operation beigemessen werden könne. Dagegen sind folgende Umstände, welche sich in der Person des Verwundeten zufällig vereinigten, und zum Theil schon vor der Verwundung statt gefunden hatten, zum Theil aber keineswegs nothwendige und constante Folgen der Wunde waren, als völlig zureichende Ursachen zu betrachten, um den Erfolg jeder, auch minder schweren und gefährlichen Operation auf's Spiel zu setzen, und statt der unter andern Umständen möglichen Heilung den Tod herbei zu führen.

a) Können wir nicht umhin in Erwähuung zu bringen, dass die Heilung jeder Wunde und der Erfolg jeder Operation hauptsächlich auf dem ungeschwächten Zustande der Kräfte des Körpers und auf der naturgemässen Beschaffenheit der Ernährung beruht. Sollte sich nun, wie es glaubwürdig verlautet, nachweisen lassen, dass der Verstorbene keinesweges ein regelmässiges Leben geführt, sondern sich vielmehr mancherlei Ausschweifungen überlassen, und noch unmittelbar vor seiner Verwundung an den Folgen derselben gelitten, auch deshalb Merkurialmittel, deren Nachwirkung als einer der schlimmsten Nebenumstände bei allen Wunden und Operationen anzusehen ist, gebraucht habe, ingleichen dass derselbe bis unmittelbar vor der Verwundung nicht nur in einem Zustande heftiger leidenschaftlicher Aufregung, sondern auch mehrere Tage hinter einander betrunken gewesen sei; so würde diese subjective Verfassung als ein nicht zum

Wesen der Wunde und der Operation gehöriger, mithin zufälliger, Umstand betrachtet werden müssen, der durch sein Hinzutreten allein schon einen tödtlichen Ausgang veranlassen konnte.

b) Es erhellet aus der Krankengeschichte, dass die Blutergiessung unter dem grossen Brustmuskel anfänglich nicht vorhanden, sondern erst am zweiten Tage entstanden war, nachdem der Verwundete eine freiwillige, schnelle Bewegung gemacht (dem Vernehmen nach im höchsten Unwillen den verwundeten Arm gegen die Wand geschleudert) hatte. Dieses offenbar **zufällige** Ereigniss muss als der Grund angesehen werden, welcher die Veranlassung gab, dass das aus der verletzten Arterie hervordringende Blut nunmehr die nächsten Umgebungen derselben durchbrach, sich in einem weitern Umfang verbreitete und gerade unter dem grossen Brustmuskel, welcher bei dieser Bewegung am meisten angestrengt werden musste, ansammelte, welcher letztere Umstand, wie sogleich gezeigt werden soll, sehr Vieles beitrug, um die Lage der Sachen zu verschlimmern. Es musste nämlich

c) das unter dem Brustmuskel ergossene Blut und die Jauche, welche sich in der Folge daselbst bildete, als ein sehr heftiger Reiz auf die tiefer gelegenen Theile, nämlich auf die Intercostalmuskeln, auf die Pleura und auf die Oberfläche der Lungen einwirken, welches nicht der Fall gewesen sein würde, wenn das Blut, blos den Gesetzen der Schwere zufolge, sich nach hinten und unten gesenkt hätte. Dass eine solche Reizung wirklich erfolgt sei, ergiebt sich ohne Widerrede aus No. 19., 20. und 21. des Sectionsberichtes, denen zufolge die Musculi intercostales der rechten Seite, bis zur 4. und 5. Rippe herab, auf ihrer äussern und innern Oberfläche brandig, die Pleura costalis mit einer Schicht coagulabler Lymphe überzogen, die Spitze der rechten Lunge mit dem Brustfell leicht verwachsen und der rechte Sack des Brustfells mit 6 Unzen blutigen Wassers angefüllt war. Diese Reizung vermehrte nicht nur in sehr bedeutendem Grade das Fieber, welches unter anderen günstigeren Umständen höchst wahrscheinlich nur von geringer Heftigkeit

gewesen sein würde, sondern erregte auch anhaltenden, heftigen Husten, der, durch die mit ihm verbundene Erschütterung, schon für sich allein dazu beitragen konnte, um vor der Operation die Austretung des Blutes zu vermehren, nach derselben aber einen neuen Durchbruch desselben zu veranlassen.

d) Die mehrgedachte zufällige Blutergiessung unter dem grossen Brustmuskel machte insofern auch die Operation selbst schwieriger und den Erfolg derselben unsicherer, als es durch sie völlig unmöglich wurde, den Einschnitt unter dem Schlüsselbeine zu machen und so auf einem nähern Wege zu der Arteria subclavia zu gelangen.

e) Endlich ist es höchst wahrscheinlich, dass die am 2. März gegen Abend schnell eingetretene tödtliche Blutung aus der Operationswunde durch den Wortwechsel, in den sich der Verwundete mit seinem Krankenwärter eingelassen hatte, und durch den dadurch veranlassten, heftigeren Umtrieb des Blutes zunächst herbeigeführt worden war.

Aus allem diesen erhellet, dass T........'s Tod keinesweges allein und unbedingt der im Duell ihm beigebrachten Verletzung der Arteria axillaris, sondern vielmehr den ungünstigen, grossentheils von ihm selbst verschuldeten Verhältnissen, welche vor und nach seiner Verwundung eingetreten waren, beizumessen sei, und es ist daher, wie oben geschehen, die gedachte Wunde für nicht absolut, sondern für zufällig, und zwar, weil die zufälligen Veranlassungen in seinem eigenen Körper Statt gefunden haben, für subjectiv tödtlich zu erkennen gewesen.

Leipzig, am 30. März 1834.

(L. S.) Dr. *Joh. Christ. August Clarus*,
Stadtphysicus.

(L. S.) Dr. *Carl August Kuhl*,
gerichtlicher Stadtwundarzt.

# III.

## *Arteriae carotidis communis utriusque deligatio.*

### Specimen I *).

(Quaestionum chirurg. Particula XVI.)

S. quidam, mercenarius, quinquaginta tres annos natus, Roethae oppiduli vicini incola, robusto ac vegeto corpore praeditus, qui quondam in equitatu Saxonico gravis armaturae militaverat, viginti quinque abhinc annis ita ab equo in fossam, quae viam publicam legere solet, excussus est, ut occiput solo graviter allideret. Cuius quidem lapsus vehementia cum animus alienaretur, in nosocomium nescio quod illatus aptis remediis sensim sanitati restitutus est. Post anni circiter decursum tumor in occipite emersit, a parvis initiis paulatim increscens, qui quamquam prorsus quidem indolens erat, forti tamen et perspicua pulsatione aneurysmaticam indolem clare prodebat. Quae etsi ita haberent, chirurgi tamen ignorantia tumorem illum abscessum esse opinata est, eumque aperuit, quo facto sanguis cum impetu exiit. Quae aegrotus de progressibus et mutationibus morbi sui nobis tradidit, ea ob narrationis obscuritatem haud digna esse videntur, quae h. l. repetantur. Saepius osculum in hoc aneurysmate sanguinem emittens exortum est. Vere novo anni MDCCCXXXIV cum ligna finderet, eorum fragmentum loco affecto illisum effecit, ut ex rupto tumore rapide prosiliret largissima sanguinis unda. Hofmannus, chirurgus Roethanus, vulneris deligatione et pulvinarium fascia-

*) Et unicum. E.

rumque vi haemorrhagiam si non penitus, maximam tamen partem suppressit. Aegrotus, cum omnibus subsidiis ad morbum curandum vel maxime necessariis propter summam rei domesticae inopiam esset destitutus, die XXII. Maii eiusdem anni nosocomio Lipsiensi a divo lacobo nominato traditus est. Sanguinis iactura ipsum tantopere debilitaverat, ut per brevissimum modo temporis spatium lectum relinquere valeret, et ob saepius idque vehementissime ortum animi deliquium mors instare videretur. Sacci aneurysmatici totam paene capitis partem capillatam tenebant, ad nasi usque radicem porrigebantur, frontem deformabant, praeprimis vero occiput occupabant, in cuius parte superiore tria oscula patula semigrossi ambitum habentia observabantur, e quibus, fasciis solutis et pulvinaribus remotis, sanguis rubicundus non sine vehementia et cum saltu emicuit. Qui tumores aneurysmatici, cum inprimis ab arteria occipitali sinistra eiusdemque ramis formati esse viderentur, maximeque metuendum esset, ne haecce arteria propter saccorum vicinitatem situsque partium mutationem morbosam vix esset reperienda, eiusque parietes vel emollitione vel induratione laborarent, arteria carotis communis sinistra secundum methodum consuetam, quae omnibus rei medicae peritis cognita et in quovis chirurgiae operativae compendio descripta esse solet, d. XXIV. Maii est deligata. Posteaquam aegrotus, in operatione ipsa convulsionibus et lipothymia correptus, lecto semianimis erat traditus, pulvinaria et qualemcunque compressionem removere conati sumus, nulla tamen oborta haemorrhagia. Brevi post operationem venaesectionem instituimus. Ad vesperam eiusdem diei aegrotus de concussionibus sanguinis in arteria ligata modo mitioribus modo fortioribus et saepissime redeuntibus conquestus est, qua de causa venaesectionem repetendam, victum parcissimum exhibendum, potionem acidulam propinandam atque electuarium lenitivum propter alvi tarditatem praescribendum esse censuimus.

Primis *Iunii* mensis diebus haemorrhagia denuo oborta deligationem valentius comprimentem necessariam reddidit.

*D.* 12. *Iun.* Nos vasa adducentia sedulo explorantes arteriae occipitalis sinistrae micationes non sine admiratione

animadvertimus. Tubera aneurysmatica in suppurationem transire, et magis magisque ad nucham descendere videbantur.

*D.* 19. *Iun.*, die post operationem vicesima septima, filum, quo ligata arteria erat, sua sponte ex plaga excidit; ceteroquin omnia bene procedunt.

*D.* 5. *Iul.* Cum vitae diutius producendae cupiditate rediit quoque auctus ciborum appetitus, omnesque corporis functiones ad sanitatem redire videbantur.

*D.* 20. *Iul.* Aegrotus de die in diem vires magis recuperavit, ac baculo innixus ambulare conatus est. Vulneris colli labia penitus coaluere.

*D.* 27. *Iul.* Quae in dextro capitis latere sentiebantur micationes, arteriae occipitalis dextrae compressione evanuerunt, ita ut sperandum esset, fore, ut arteriae carotidis dextrae ligatione qualecunque phaenomenon aneurysmaticum tollatur. Omnes sacci arteriosi versus latus dextrum descenderunt, frontemque liberam reliquerunt.

*D.* 3. *Aug.* Fasciis sublatis et machina compressoria, quae hucusque in arteriam occipitalem dextram egerat, remota, sanguis arteriosus summo cum impetu e vulnusculo prorupit, exiguo illo quidem et per excoriationem exorto, sed ad ossa calvariae usque penetrante; haemorrhagia tamen forti compressione infra hunc locum applicata feliciter intercepta est.

*D.* 4. *Aug.* Hora septima vespertina tam immensum ortum est sanguinis profluvium, ut cum vel validissima compressio ad ipsum sedandum vix sufficeret, ad deligandam arteriam carotidem communem dextram eo magis festinaremus, quo gravius periculum vitae imminere pulsus frequentissimus et filiformis ac summa virium prostratio nobis significabat. Sub operatione ipsa, quae haemorrhagiam confestim suppressit, aegrotus leviter convulsus est. Deligatione peracta facies pallescere, et una cum lingua frigere coepit, arteria radialis dextra fortiter micuit, sinistra autem vix sentiebatur. Ceteroquin nulla aderant phaenomena, quae sanguinis in capitis vasis defectum declarabant; functiones enim sensuum haud perturbatae fuerunt. Nocte sequente aegrotus

quieto somno, non nisi rarioribus brachii convulsionibus interrupto, usus est.

*D. 7. Aug.* Aegrotus se nulla concussionum uti antea vestigia passum esse laetus quidem confessus, de molesto tamen brachii dextri motu et de capitis gravitate ac dysphagia conquestus est. Quare venaesectio instituta, et potio acidula praescripta est.

*D. 11. Aug.* Hora octava vespertina in dextro capitis latere pone aurem ex eodem loco, ubi octo abhinc diebus sanguis profluxerat, haemorrhagia repente exorta est, quam compressione in occipitali musculi trapezii insertione cohibuimus, qua de causa huius ramuli arteriae transversae colli seu cervicalis, haud dubie magnopere dilatati, deligationem mediatam, acus curvatae filum gerentis ope peractam, suscepimus, ita ut superiora musculi cervicalis strata comprehenderet.

*D. 12. Aug.* Nox tranquilla fuerat, capitis autem dolor atque gravitas venaesectionem postulavit, quam non sine fructu peregimus.

*D. 15. Aug.* Aegrotus de laesa oculorum acie, inprimis cum rectis oculis rem sibi oblatam intueretur, nec non de ingente totius corporis infirmitate conquestus est.

*D. 20. Aug.* Arteriae cuiusdam pulsatio in media nucha persentiscebatur.

*D. 23. Aug.* Sexta circiter hora matutina aegrotus frigore febrili per horae quadrantem durante corripiebatur, absque calore ac sudore sequente, quo factum est, ut febrem intermittentem instare crederemus.

*D. 24. Aug.* Frigus eodem tempore rediit, diutius autem aegrotum vexavit.

*D. 25. Aug.* Eundem frigoris paroxysmum hora sexta vespertina, et

*D. 26. Aug.* hora quinta vespertina observavimus.

*D. 27. Aug.* Hora quarta vespertina frigus rediit, cum vehementia tum diuturnitate quotidie crescens, minime vero calorem et sudorem secum ducens, ita ut de intermittente mali indole dubitare inciperemus, symptomata gastrica enim prorsus abfuere, ciborum appetitus in famem incredibilem est mutatus, pulsus frequens fuit ac celer.

*D.* 28. *Aug.* Frigoris accessus circa meridiem, iterumque tempore vespertino observabatur; qua de causa aegroto chinini sulphurici gr. vjjj propinata sunt.

*D.* 29. *Aug.* Phaenomena aeque ac medicamenta eadem.

*D.* 30. *Aug.* Victum lautiorem et chinini sulphurici gr. vjjj porrigebamus. Frigoris sensus abfuit.

*D.* 31. *Aug.* Filum deligatorium sua sponte ex vulnere excidit.

*D.* 3. *Sept.* Aegrotus quotidiano virium augmento delectabatur, spem vitae conservandae et sanitatis recuperandae concipiebat, atque e lectulo surgere conabatur.

*D.* 6. *Sept.* Cum sacci aneurysmatici occipitales in suppurationem transire viderentur, integumentorum vero capitis communium firmitas impediret, quo minus materia purulenta subtus collecta effluere posset, cataplasmata emollientia in usum vocabantur, quibus factum est, ut post paucos dies saccus maximus caute incidi posset, largamque ichoris foetidi copiam effunderet.

*D.* 10. *Sept.* Aegrotus quamvis sub divo ambulabat, graviter tamen de membrorum lassitudine, capitis doloribus ac aurium tinnitu conquestus est.

*D.* 22. *Sept.* Hora secunda matutina largissima haemorrhagia ex parvo orificio sacci aneurysmatici in superiori musculi sterno-cleido-mastoidei dextri vicinitate iacentis erupit, quae tamen sua sponte absque ulla compressione sedata est: arteriarum pulsus frequens fuit, celer ac parvus. Postea vertigo aegrotum per plures horas valde vexavit, quapropter octo sanguinis unciae non sine levamine detrahebantur.

*D.* 25. *Sept.* Horis vespertinis sanguis ex ramulis dilatatis arteriae occipitalis dextrae stillavit, facillime tamen sedabatur. Pediluvia acria et potionem acidulam in auxilium vocabamus.

*D.* 30. *Sept.* Hora quinta matutina exigua sanguinis eruptio ex eodem loco rediit, sed sua sponte fere cessavit. Medicamina continuabantur.

*D.* 5. *Oct.* Repetitus sanguinis impetus facillime supprimebatur, sed duabus horis elapsis haemorrhagia nova eaque

fortior exorta est. Sanguis ex integumentis capitis communibus haud procul a processu mastoideo dextro prosiluit. Aegrotus de doloribus lancinantibus in regione vexata conquestus, magnopere autem de repentina haemorrhagiae sedatione gavisus est. Sacci aneurysmatici quamquam largam materiae purulentae copiam secernunt, occipitis tamen deformitas nodosa remanet. Eadem die glomum ex agarico formatum imposuimus, atque deligationem fortiter comprimentem, ut haemorrhagiae reditus impediretur.

*D.* 16. *Oct.* Remota deligatione locum suspectum plurimum puris eiecisse cognovimus, haemorrhagiae autem nulla omnino vestigia observavimus.

*D.* 20. *Oct.* Ex nonnullis diebus tumorum aneurysmaticorum ambitus diminutus est, dolores cessarunt, somnus quietior, adspectus occipitis melior redditus est, colli vulnus fere coaluit. Aegroto, qui hucusque nil nisi iuscula mucilaginosa acceperat, victus animalis concedebatur.

*D.* 20. *Nov.* Colli plaga evanuit. In occipite tumor restitit sacciformis, cuius tamen magnitudo suppurationis beneficio indies imminuta est. Locus in nucha suspectus, qui pluries sanguinem fuderat, prorsus fere est sanatus. Duas arterias versus occiput adscendentes aeque ac temporalem arteriam in latere sinistro supra arcum zygomaticum micare distincte animadvertimus. Arteriarum radialium micatio multo minus quam antea differebat. Omnes omnino functiones corporis optime procedebant.

*D.* 23. *Dec.* Quem hucusque nonnisi aegroti nomine appellavimus, idem vir nunc tamquam sanissimum se gessit, sub divo quotidie ambulavit, in vitam se rediisse laetissimus cuicunque retulit, et hac ipsa die ad suos gratissimus rediit. In occipite tuberculum magnitudine ovi columbini restitit, cuius resolutio a resorptione est exspectanda.

# IV.

## *Arteriae cruralis aneurysmaticae infra saccum aneurysmaticum feliciter ligatae exemplum narratur.*

(Quaestionum chirurg. Particula XVII.)

---

Nobilissima sunt et doctissimorum hominum usu et experientia commendata proverbia, alterum: nullam regulam esse sine exceptione, alterum: audaces iuvare fortunam. Nulla est vel ars vel disciplina, ad quam haec dicta non pertinere aliquis contendat. Equidem certe longissime absum ab ea temeritate, quae horum dictorum veritatem chirurgorum praeceptis et institutis aliquo modo affirmari neget. Imo apud animum constitui, in hac ipsa prolusione academica nonnulla de aneurysmatis curatione proponere, per quae illorum dictorum auctoritatem, si non novo argumento probari, novo tamen exemplo illustrari, gnari harum rerum lectores facile videbunt. Quae autem narraturus sum, omnino non mea manu feci, nec meis oculis vidi; sed Witzlebenii Expertissimi chirurgi Lipsiensis mihique amicissimi et facta et verba lectoribus redditurus sum. Hic autem vir aestumatissimus certissimus est testis rerumque a se gestarum narrator fide dignissimus. Illud unum valde dolendum est, nonnulla in eius narratione non satis perfecte et fugitivo tantum calamo, uti urgente negotiorum multitudine fieri solet, esse relata, ita ut plura supersint, de quibus ab hoc viro accuratius expositum esse quisque ex animo optaverit. At nonne ingrati hominis est, de brevitate narrationis conqueri? Summo iure ille vir a me in hoc ipso loco collaudandus est, quod publice de narratione mihi tradita verba faciendi veniam mihi concessit.

Quod autem ad me attinet, nunquam dubitavi operae pretium illum facere, qui penitius quaerere instituat, ubi felici successu ab aliis suscipi et perfici viderit, quae quidem secundum probatissimas et communi assensu commendatas artis quid quod ipsius naturae leges videbantur esse vitanda, et non nisi tristissimum finem habitura.

Desaultius nimirum suaserat, in aneurysmatis curatione, ubi ulla aliqua de causa chirurgo non liceret arteriae ligaturam inter cor et saccum aneurysmaticum perficere, huius ligationis inter saccum et arteriae finem periculum facere (v. c. in brachiali et crurali arteria *infra*, — in a. carotide vero *supra* saccum). Nonne quivis credat, sanguinis non solum inter, sed etiam post finitam operationem summo ad saccum perventuri impetu hunc saccum post breve tempus ruptum iri, subitamque mortem adductum? At aliter rem evenire et alium prorsus successum locum habere posse, nonnullis exemplis comprobatum fuit, quorum unum quidem iam hac ipsa scriptiuncula tractabo, de altero alio loco et tempore verba facere constitui.

Faber lignarius quidam, quadraginta quinque annos natus, robusta corporis statura et constitutione plethorica biliosa praeditus, mense Martio anni h. s. duodetricesimi prima tumoris indolentis, colore a ceteris corporis partibus haud distinguendi vestigia in flexura inguinali infra ligamentum Poupartii sensit, cuius originem nesciit unde derivaret nisi a leviori aliqua forsitan antegressa concussione. Cum neque dolorem, neque ullam gravem exinde perciperet incommoditatem, malo, quod ne commemoratione quidem, nedum observatione et curatione chirurgica dignum habuit, neglecto cum a vi naturae medicatrice optima quaeque speravit, tum, quae est eiusmodi hominum nunquam satis explodenda consuetudo, remedia, quae dicuntur domestica, nec non cataplasmata varia in usum vocavit, quae vero tantum abfuerunt, ut tumorem tollerent, ut ipsius ambitum enormem in modum amplificarent, unde tumor indies magis magisque increscens molestiam parare, totius extremitatis motum impedire, virumque a quovis laboris exercitio avocare atque in lecto detinere incepit. Quae cum ita essent, chirurgum quemdam in con-

silium vocavit, qui indolem mali aneurysmaticam statim cognoscens aegroto summum, in quo haereret, periculum exposuit, et a sola operatione salutem sperandam esse declaravit. Qua annuntiatione aegrotus perterritus animoque perturbatus a Witzlebenio Expertissimo auxilium petiit, qui septima Februarii die anni MDCCCXXIX tumorem exploravit, et aneurysma arteriae cruralis diffusum insignis magnitudinis in regione inguinali sedens deprehendit, cuius diameter longitudinalis undecim, transversus vero septemdecim pollices ulnae Lipsiensis aequavit. Cutis conditio, si levem eius tensionem et vasa cutanea perlucentia exceperis, a naturali haud recessit. In proxima vasorum cruralium vicinitate tumor altissime prominuit et integumenta communia elevavit, quorum diligens exploratio arteriam cruralem duos pollices cum dimidio a Poupartii ligamento perforatam esse prodidit; hiatus in exteriori latere arteriae ad trochanterem maiorem spectante reperiebatur. In tussiendo in sacci introitu sensus sibilus ac pulsatio cum auditui tum tactui se manifestavit. Saccus aneurysmaticus a membranis fasciae latae formatus esse videbatur. Cum aegrotus supinus iaceret, aneurysma minime tumuit; cum erectus staret, tumor increvit, et dolorem ponderisque sensum molestum ipsi paravit; cum denique sederet, tumoris tensio ac pulsatio tantopere aucta est, ut eius diruptio instare videretur. Cruris calor non minutus fuit, neque oedema observabatur. Die Februarii decima septima Witzlebenius Exp. deligationem arteriae supra saccum aneurysmaticum suscipere quidem tentavit, magnitudine vero sacci et propinquitate ligamenti Poupartii impeditus est, quo minus eam absolveret, quapropter vulnus arte factum simpliciter ligavit, ut, si fieri posset, ipsius sanatio per primam intentionem (uti dicunt) promoveretur. Die vicesima eiusdem mensis octava Witzlebenius Exp., ne plane desertus videretur aegrotus, ad operationem aneurysmatis ex methodo Desaultiana infra saccum huncce se accinxit. Incisionem integumentorum communium cruciatam sex pollicum longitudinem, quinque vero latitudinem habentem infra tumorem instituit, cuius panniculos quatuor separavit et removit, musculos a se invicem cautissime seiunxit, donec ad arteriam

fortiter micantem penetraret, quam ab omni tela cellulosa liberavit, et acus Cooperianae aneurysmatis operationi destinatae auxilio duobus filis ligavit. Alterius fili applicatio dolorem modicum, alterius autem tam insignem excitavit, ut aegrotus vehementem clamorem extolleret, totoque corpore convelleretur, licet artum movere non valeret. Fortissima nodi constrictio hunc cruciatum post brevissimum temporis spatium mitigavit, aegrotus autem ipsius vehementiam non nisi cum ferri candentis, universum corpus, inprimis vero pedem vexatum graviter concutientis, atrocitate comparari posse confessus est. Ligatura simplici adhibita aegrotus lecto traditus, ipsique summa corporis aeque atque animi quies, tamquam primarium sanationis adiumentum, commendata est. Sanguinis erumpentis impetus, ac nervi cruralis vicinitas operationem molestam et longinquam reddidit. Paulo post operationem aneurysmatis superficies mollior fiebat, eiusque diametri minuti inveniebantur, crus frigidum ac sanguine destitutum erat, dolores obtusi aegrotum crudeliter perturbabant.

*D.* 1. *Mart.* Dolorum commemoratorum augmentum qualemcunque somnum abstulerat, coenaesthesis, si debilitatem exceperis, non admodum laesa, pes frigidior quam hesterna die fuit; aneurysmatis parietes molliores quam antea digito leniter prementi parum tantummodo restiterunt, sanguinis in saccum introitus obscure sentiebatur, diametri minores reperiebantur.

*D.* 2. *Mart.* Phaenomenorum conditio hesternae fuit simillima, in vulnere dolor percipiebatur.

*D.* 3. *Mart.* Solutis fasciis plaga inflammata apparuit, et instantis suppurationis signa conspiciebantur, pulsus mollis, pleni et accelerati micationes 76—80 intra sexagesimam horae partem numerabantur; diametros eosdem, totum membrum flaccidum et sanguine orbatum reperiebat chirurgus, pulsatio in fossa poplitea desiderabatur, panni aqua frigida madefacti imponebantur.

*D.* 5.—8. *Mart.* Nulla sese obtulit phaenomenorum mutatio, praeter motus febriles leviores, qui medicamentis idoneis impugnabantur. Tumoris diametri incrementum fecerant,

doloris autem lancinantis vehementia, frigusque membri decreverat, et aegrotus, somno se aliquantum refectum esse, laetus nuntiavit. Vulneris adspectus non malus, suppuratio haud larga fuit, ligationis comprimentis applicatio frustra tentabatur.

*D.* 9. — 11. *Mart.* Quilibet tumoris diameter pollice dimidio maior quam heri inveniebatur, sacci aneurysmatici, qui valde tensum ac durum se praebuit, pulsatio vix sentiebatur. Aegrotus de dolore partis affectae conquestus est ac de molestia, qua quovis vespere vexaretur. Vesica urinaria bovina glacie repleta tumori imponebatur, quo facto ab initio horror levis, deinde autem sensus non ingratus excitabatur.

*D.* 13. — 16. *Mart.* Symptomatum tumultus aegrotum atrociter perturbavit, hora cuiusvis diei quarta vespertina aneurysmatis turgor auctus est, donec hora octava remissionem phaenomenorum afferret. Incredibilis sacci extensio eius diruptionem praenuntiare videbatur. Dolores acerbi et lancinantes frigusque membri affecti decreverant; horror totum corpus concutiens non rediit.

*D.* 20. *Mart.* Filum ligatorium sua sponte delapsum est (die XXI.). Vulneris sanatio feliciter processit, aneurysmatis turgor haud minutus est. Ceteroquin aegrotus mediocriter se habuit. Venaesectionem chirurgus, de debilitate exinde oriunda quam maxime sollicitus, sedulo vitavit. Haud procul a trochantere maiori summa tumoris durities largissimam lymphae coagulatae copiam hic adesse testata est.

*D.* 23. — 30. *Mart.* Totius corporis conditio pro re nata haud mala fuit, diametrorum ratio eadem, quae antea fuerat. Pes leniter doluit, sed tanta fuit sensibilitate, ut vel minima cum caloris tum frigoris accessio inconsueta sensum molestum generaret.

*D.* 3. *Apr.* Aegrotus qualibet sanationis spe abiecta, ac curationis chirurgicae pertaesus, impediri non potuit, quin ad domicilium suum, in vico quodam tres spatii horas remoto situm, festinaret, cui abeunti, ne forsitan vel sacci aneurysmatici vel arteriae uspiam provocaretur diruptio, qualis cum haemorrhagia repente lethali coniuncta esse soleret, a chi-

rurgo summam quietem corporis, fugamque cuiuslibet laboris commendatam esse, vix est quod memorem.

*D.* 20. *Maii.* Cum hac die chirurgus aegrotum visitaret, haecce observavit. Aneurysmatis ambitus nullam mutationem subierat, turgor autem fere prorsus disparuerat. Supra trochanterem maiorem in maxima musculi vasti externi prominentia locus oboli magnitudine albidus latentem abscessum indicare videbatur. Ex sacci mollitie chirurgus diruptionem eiusdem praedixit, quapropter maxime necessarium habuit, aegrotum iterum admonere, ut corporis debilitatem diligenter respiceret. Loco emollito emplastrum diachylon compositum imponebatur.

Quae chirurgus suspicatus esset, ea paulo post ipsius discessum vere accidisse, per nuntium cum ipso communicatum est. Integumenta communia mirum in modum elevata fuerunt, donec incauto aegroti motu rumperentur, quo facto purulentae materiae ab initio tenuis lactique similis, deinde autem grumosae octo librae prodierunt, quo profluvio tumorem statim collapsum esse, vix est ut moneatur.

Postea diminutio et sanatio huius enormis sacci aneurysmatici tam lento gradu est progressa, ut delapso biennio hiatus pus limpidum excernens restaret. Crus lateris affecti altero semper fuit frigidius. Deinde autem aegrotus sensim sensimque restitutus est, ut nunc sanus libere ambulare ac negotiis suis vacare possit.

# V.

## *Arteriae innominatae aneurysmaticae carotide ligata sanatae exemplum refertur.*

(Quaestionum chirurg. Particula XVIII.)

---

Cuicunque illam in ultimo nostro programmate aestumatissimis lectoribus traditam arteriae cruralis aneurysmaticae infra saccum aneurysmaticum feliciter ligatae historiam et legenti et consideranti, eamque cum consueta aneurysmatis operatione, inprimis cum illa, cuius denominatione meritissimi Hunteri memoria pie renovatur, comparanti non fieri potest, quin ea admodum admirabilis et parum idonea, imo fere incredibilis videatur. Nonne enim quam maxime timendum erit, ne sacci parietes, iam ante operationem tenuiores redditi, a rapida sanguinis per ligaturam progredi impediti unda mirum in modum vexentur, extendantur, ac denique rumpantur cum repentini exitii accessione? Quo magis autem illius encheireseos eventu nihilominus felici obstupescimus, eo maiorem honorem habere debemus naturae medicatrici, quae vel gravissimas ac periculosissimas noxas reparare, vitam conservare vel ab acerrimo impetu sospitem praestare studeat. Si vero quaerimus, qua tandem via organismus in tali inexpectata aneurysmatis sanatione peragenda exitumque faustum parando ingrediatur, plura nobis sese offerunt animadvertenda ac perpendenda, quae non ab incerta opinionum farragine petita, sed ex limpidissimo experientiae fonte hausta sunt:

Primum: Omnes omnino observatores consentiunt, quo tenuiores sint arteriae aneurysmaticae parietes, eo maiorem colligi solere sanguinis coagulati copiam, quae ipsa vas dila-

tatum optime defendat contra sanguinis valide fluctuantis, ac terminos ipsi positos rumpere gestientis impetum. Iidem ad venas varicosas (v. c. saphenam) supra saccos ligatas provocant, in quibus similia fieri scimus.

Deinde: Plura exempla docent, in tunicis arteriarum aneurysmatice extensarum non raro deponi materiam sive calcariam sive osseam, ad coërcendos sanguinis tumultus aptissimam.

Denique, quod imprimis commemorandum est, eaque, quam nos enarravimus, operationis historia optime probatur, saccus in suppurationem transit, eaque prorsus destruitur; in area granulatio iacturam partium resarciens exoritur, quo tandem insigni naturae beneficio perfecta sanitas redit.

Illius igitur Witzlebenianae operationis a nobis descriptae successus plane singularis si iam in admirationem lectores rapuit dubiosque fecit, naturae maiorem an arti laudem deferrent, metuendum est, ne eo, quod nunc propondituri sumus, altero rarissimae curationis exemplo lectorum animos ad stuporem provocatum iri dicentes in multorum vituperium incurramus.

Mottius, Prof. chirurgiae in literarum universitate Neoyoricensi, historiam operationis cuiusdam tradidit memoria dignissimae (Amer. Journ. of medic. Scienc. Febr. 1830), quae parum tantum cognita iterum hic referatur. Arteria innominata aneurysmate laboravit, quo arteria carotis et subclavia simul fuit affecta, quod Mottius carotidis ligatione feliciter sustulit. Sed Mottium quasi ipsum inducam loquentem, ne *Inquit* saepius interponatur, atque ut tamquam a praesente coram haberi sermo videatur:

M. G. agricola, 51 annos natus, vir optima corporis constitutione praeditus, qui mense Martio anni 1829 a me opem petiit, tribus abhinc annis, onus permagnum sustinens, dolore in superiori ac posteriori colli parte affectus est, qui sensim sensimque ad brachium transiit, una cum raucedine, cuius causa in refrigerio admisso posita esse videbatur. Anno cum dimidio delapso tumor exiguus in superiori sterni parte emersit, paulo post levem micationem significans. In explorando supra sterni manubrium tumor, ovi columbini ambitum

# II.

# Historia membri virilis feliciter exstirpati.

# *Historia membri virilis feliciter exstirpati.*

(Quaestionum chirurg. Particula II.)

---

Quotiescunque instrumentorum chirurgicorum, a maioribus nostris aeque ac a coaevis inventorum atque saepe plus quam iustis laudibus celebratorum, ullam egregiam adspicio collectionem, toties eorum copiam tacitus quidem admiror, ingeniique humani agnosco solertiam, sed mihi temperare nequeo, quin plurima eorum non tam ad restituendam hominum salutem, quam potius ad parandam inventoribus gloriam aliquam inventa esse credam. In memoriam solummodo revocemus immensam ad feliciter perficiendam suffusionis operationem inventorum, perinde ac instrumentorum, quibus ad calculum secandum uti possumus, supellectilem; nonne plura eorum vix ac ne vix quidem inter sese differunt, nonne in eum modo finem excogitata esse videntur, ut postquam uni tantum operationi inservierant, inque aliquo diario chirurgico aut in dissertatione inaugurali descripta et commendata fuerant, aeternae tradantur oblivioni? Quod autem instrumenta inveniendi studium quo magis vanitatem ridiculam prodere videtur, eo magis illos laudare soleo, qui apparatum chirurgicum minuere et paucissimorum instrumentorum ope vel gravissimas operationes perficere student. Cuius rei probandae causa nonnisi ad Cooperum et Langenbeckium provoco, qui vel in summa instrumentorum abundantia unius scalpelli ministerio in lithotomia exercenda contenti sunt. Eodem modo Reisingerus pupillae artificialis conformationem maxime complicatam ceratotomi et hamuli duplicis auxilio absolvit. Confiteor quidem, me ipsum quoque antea illis fuisse addictum, qui in operationibus peragendis ingenti apparatu chirurgico delectantur: ex quo vero Barthii ophthalmiatri Vindobonensis, praeceptoris immortalis, admonitionem plus una vice repetitam audivi: „Ne veniat vobis, auditores, instru„mentorum inveniendorum dira cupido; sed si vobis de infe„lici operationis exitu lugendum est, minime instrumentorum „iniquitatem, sed potius alias res, maxime vestram imperi-

„tiam et omnino humanae naturae imbecillitatem accusandam „esse existimetis," hoc errore abiecto in contrariam opinionem ductus, simplicitatem summam in encheiresibus chirurgicis non satis celebrandam esse puto. Cuius axiomatis veritatem cum optime perspexissem, in commentatione nuperrime edita acuum aneurysmatum ligationi dicatarum magnum quidem, ne eas penitus ignorasse viderer, numerum exposui, sed meam simul hac de re mentem aperui, scilicet quo simplicius sit eiusmodi instrumentum, eo facilius meliusque perfici operationem, nec non duarum operationum simpliciori methodo feliciter peractarum addidi historias. In hac prolusione aliam, eamque non minoris momenti, exstirpationis membri virilis in nostro nosodochio septem abhinc annis peractae narrationem cum lectoribus communicare apud animum constitui meum, non quod eiusmodi operationem pro inaudita habeam, sed potius, ut vel in gravissimis, maximeque periculosis encheiresibus simplicem agendi rationem locum habere posse probem.

Nolo nunc in verbosam huius operationis explicationem exspatiari, sed ad Thautii [1]) libellum ex meo iudicio praeclarum lectores ablegandos censeo.

Duo symptomata quae multas operationes chirurgicas imprimis difficiles terribilesque reddunt, sanguinis profusio nimia, et nervorum perturbatio, ea quoque ab exstirpatione membri virilis suscipienda chirurgos veteres ad Corn. Celsi usque tempora retinuisse minime mirandum est. Sunt quidem, qui Hippocratem iam scirrho ac carcinomati huius partis vel cauterium vel scalpellum adhibuisse existiment, quorum vero opinionem incertam ac vanam esse, negare non possumus. Multo magis Celso [2]) primam eamque claram huius encheireseos descriptionem debemus, qui, „si cancer „colem occupavit, adurentia inspergit, maxime id, quod ex „calce, chalcitide, auripigmento componitur. Si medicamenta „vincuntur, scalpello, quidquid corruptum est, sic ut aliquid „etiam integri abeat, praecidi, vulnus deinde uri iubet, sed „maxime metuit, ne profusio sanguinis insequatur, in quo

---

1) *Abhandl. über den gesunden u. kranken Zustand des männl. Gliedes. Wien,* 1814. 2) De med. L. VI. sect. XVIII. §. 3.

„casu quietem longam, aquam frigidam, medicamina styptica, „et ferrum candens commendat.“

Recentiores chirurgi in hac operatione exercenda duas in partes abiere, quarum una scalpellum, altera vero ligationem defendit. Ex illis Bellium [3]), Desaultium [4]), Dzondium [5]), Langenbeckium [6]), Loderum [7]), Pearsonium [8]), Richterum [9]), Schmalzium [10]), Schregerum [11]), ex his autem Heisterum [12]), Paluccium [13]), Plenkium, Ruyschium [14]), Sabatierum [15]), inter nostri aevi chirurgos Graefium Ill. appello, cuius agendi rationem Bienerus [16]) in dissertatione academica Lipsiae defensa expositam iconibus illustrare studuit, et tria exempla laetum huius operationis exitum testantia adiecit.

Ceteroquin omnes virgae exstirpationem vel hoc vel illo modo peragentes in eo consentiunt, quo propius ad symphysin ossium pubis demenda sit haec corporis masculi pars, eo maiorem esse haemorrhagiae funestae timorem, quapropter modo hoc, modo illud iacturae sanguinis aut avertendae aut coercendae remedium proposuerunt. Inter scalpelli defensores Ill. Schregerus amputationem repetitis incisionibus perficiendam commendat, quarum una absoluta arteriae ligantur, ne fortasse haemorrhagia sequentem impediat: quam membri virilis exstirpandi methodum Exc. Dzondius quoque amplexus et cum felici eventu executus est; nihilominus tamen nec Schregerus, nec Dzondius hanc mentulae remotionem valde periculosam esse negat. Quam ob causam mihi vitio non vertendum videtur, cum historiam morbi aeque ac sanationis huc pertinentem cum lectoribus communicem.

Mercenarius egenus, H., imprimis e parietibus ex luto conficiendis victum sibi quaerens, annum quinquagesimum quartum agens, haud robustae constitutionis, ulcere carcinomatico, montem Veneris, membrum virile et partem anteriorem superioremque scroti occupante laborans, sub finem anni

---

3) *Lehrb. d. Wundarzn.* I. 413. 4) *Chir. Wahrnehm.* 3. *B.* 5) *Beitr. z. Vervollk. der Heilk.* 1. *Th*, 6) *Neue Bibl.* I. 4. 7) *Chir. Beob.* I. 79. 8) *Samml. aus. Abh. XVI.* 650. 9) Diss. de opt. membr. viril. amput. meth. Regiom. 1804. 10) *Loder's Journ.* I. 4. 11) *Chir. Vers.* I. 12) *Instit. chir.* 13) *Neue Anm. über d. Absetz. d. m. R. Lpz.* 1752. 14) *Observ. XXX.* 15) Medic. op. II. 303. 16) De exstirp. penis per ligat. Lips. 1816.

MDCCCXVII. in nosocomium nostrum receptus est. Hic vir nulla unquam aegritudine, si morbos infantiles ac scabiem paupertatis iniuria genitam exceperis, affectus, malique venerei plane expers, tribus abhinc annis partem palae superiorem fortuito casu membro virili illiserat, ex quo ictu ab initio parum doloris percepit. Septimanis vero aliquot praeterlapsis tuberculum quoddam in praeputio natum hunc virum impulit, ut ex rustici cuiusdam consilio tumorem unguibus saepe scalperet, lotioque lavaret. Quod cum sine fructu factum esset, a chirurgo inferioris conditionis auxilium petiit. Hic eiusmodi malum non raro occurrere, mitram hispanicam (!) appellari, nec multum exinde metuendum esse affirmavit: interea nostro medicamentum quoddam externum praebuit, quo per satis longum tempus adhibito accessit dolor lancinans, et tumor ichorosum fluidum male olens effundere coepit, ita ut aegrotus ad alium chirurgum confugeret, qui per septem menses tertio quoque die causticum lunare loco affecto applicuit, et aquam saturninam commendavit. Morbus autem tantum abfuit, ut mitesceret, ut de die in diem peior redderetur. Postea aegrotus textori linteorum cuidam, qui horis subsecivis artem salutarem exercet, se tradidit, a quo monitus est, ut cataplasmata ex farina secalina parata imponeret, quae tam efficacia fuerunt, ut post breve tempus undeviginti conspicerentur orificia, ex quibus lotium proflueret. Cum dolorum vehementia, tum immunditiei molestia miserum adegerunt, ut textore relicto ad chirurgum alium se conferret, a quo epithemata aromatica accepit, una cum spe celerrimae restitutionis: sed omnia frustra sunt adhibita. Ita crudeliter vexatus omnique spe salutis recuperandae destitutus, aegrotus b. Rosenmuellerum adiit, ipsumque enixissime rogavit, ut si quod arti superesset remedium, id sibi praeberetur. Hic miserum Senatui Lipsiensi Amplissimo, cuius non minor in miseris sublevandis est beneficentia, quam in regenda civitate sapientia, commendavit, hocque modo effecit, ut ille in nosodochium civicum reciperetur.

Conditio aegroti maxime deploranda fuit: corporis universus habitus summam debilitatem monstravit, oculi languidi, palpebra superior laxa et pendula, genae collapsae et palli-

dae, labia exsanguia et trementia; aegrotus stare vix valuit; respiratio difficilis ac anhelosa, pulsus debilis ac iusto frequentior, somnus dolore gravi et pertinaci lumborum dorsique, febre vespertina et sudore matutino viscido interruptus, appetitus exiguus, digestio impedita, alvus modo laxa modo obstructa fuit. Tumor commemoratus adspectum praebuit tristissimum, totum membrum virile ad symphysin usque ossium pubis in globum pugni magnitudine transmutatum erat, qui ex minoribus globulis, epidermide et cute destitutis et excrescentiarum brassicae botrytidis figuram referentibus, erat compositus, ita ut ubi praeputium vel corpora cavernosa vel glans vel denique urethrae orificium fuissent, vix cognosceres, margines duri, eschara nigra duraque passim obducti et vel a levi attactu sanguinem fundentes, superficies ichore impuro, limpido, maxime foedente, cum urina mixto maduit, in ulceris vicinia ubique foraminula lotium excernentia conspecta sunt, ut de fistulis urinariis dubitare non posses, quarum ostiis specillum immissum ad urethram usque produci potuit: parietes harum fistularum duri fuerunt, atque callosi, lotii stillicidium invito et inscio aegroto perpetuum; dolores pungentes antea commemorati modo remiserunt, modo fortius redierunt. Mons Veneris excrescentias illis iam descriptis similes obtulit, pars anterior, atque superior scroti ab ichore et urina largiter profluente epidermide [illegible]-nudata fuit, quod in femoribus quoque animadvertendum erat. Venae proximae varicosae fuerunt, haemorrhagia ex tuberculis quotidie fere apparuit, glandulae inguinales sympathice tumebant, in perinaeo ulcera foetida inventa sunt. Ad hanc malorum turbam tres herniae abdominales, in dextro latere inguinalis et cruralis, in sinistro vero cruralis accesserant, quae aegroti conditionem multo magis miseram reddebant. Interea valde mirandum erat, ceteras partes generationi dicatas, uti testiculos, epididymides, funiculosque spermaticos perinde ac glandulam, nihil morbosi monstrasse.

Quae cum ita essent, minime dubius de carcinomatosa huius mali indole, in consilium vocavi Clarum, Wendlerum et Kohlruschium, qui viri Exc. et Exp. in hoc misero vires praeprimis vitales, quantum fieri posset, erigendas, febremque

hecticam coercendam, postea autem totius tumoris exstirpationem quam primum suscipiendam esse mecum statuerunt. Quocirca corticem peruvianum cum lichene islandico pro usu interno, tenuissimam vero mercurii sublimati corrosivi solutionem pro usu externo, qua tumor quotidie ter vel quater foveretur, et lintei carpti auxilio tegeretur, praescripsimus. Cum aegrotus ab operatione valde abhorreret, haec medicamenta cum interna, tum externa per longum tempus, mutatis interdum mutandis, continuabantur, victusque lautior praebebatur, quo demum factum est, ut universa hominis valetudo paulo melior evaderet.

Quo minus interea malum primarium hac curandi ratione imminuebatur, eo acrius hortati sumus aegrotum, ut sese operationi sub prognosi quidem dubia, neque tamen sine quadam restitutionis spe subiiceret. Sed aegroti voluntas mutabat per aliquot septimanas, donec circa finem mensis Aprilis MDCCCXVIII. se operationem toleraturum esse subito declararet, quae die XXVII. Apr. multis adstantibus medicis artisque cultoribus peracta est. Viro supino collocato, pedibus flexis et in sellis subpositis firmatis, cathetere argenteo in urethram et vesicam urinariam caute quidem, sed non sine molestia propter orificii occultationem inducto, tumore involuto et protracto, integumentisque montis Veneris com-[illegible]bus in utroque latere retractis, duas incisiones semilunares, a margine symphyseos ossium pubis incipientes, et ad tertiam usque partem anteriorem ac superiorem scroti procedentes, scalpelli ministerio institui, quarum cornua, ubi invicem coibant, in superiore et inferiore parte angulos formabant. His plagis involucra communia corrupta separabantur: plures exiguae arteriae discissae sanguinemque spargentes Kohlruschii dexteritate comprimebantur. Margines huius insulae carneae (liceat mihi formula loquendi haud consueta uti), hamulo Bromfieldiano attracti, provido scalpelli ductu a partibus subiacentibus solvebantur, donec omnes carcinomate affectae partes essent remotae, et ossa pubis non nisi periosteo tecta conspicerentur. Omnes spectatores aegroti patientiam et sanguinis effluentis exiguam copiam mirati sunt; quamvis magna arteriarum minutarum copia discinderetur,

quarum plurimae compressae, nonnullae autem filis sericeis cera obductis ligatae sunt. Deligatio vulneris fuit simplicissima, linteum carptum et linteamina compressa vulneri imposita fasciae, quae figuram literae latinae T habet, ope firmabantur, deinde catheter argenteus extractus, elasticus vero inductus et in vesica relictus est. Aegrotus deinde maxime debilitatus in lectum translatus, ipsique maxima tam corporis, quam animi tranquillitas commendata est.

*Vesperi eiusdem diei* dolor vehemens, lotii profluvium continuum, sudorque profusus aegrotum quiescere haud patiuntur, pulvis Doveri exhibitns est.

*Altero die* nulla conditionis mutatio.

*Per plures dies* aegrotus de summa debilitate, appetitus somnique defectu conquestus est: omnia symptomata febrem traumaticam adesse significarunt.

*Quinto die*, deligatione prima soluta, adspectus vulneris malus, superficies ita impura, saniosa et pallida fuit, ut ad medicamentorum balsamicorum leniter irritantium cum internorum tum externorum usum confugiendum esset; quo factum est, ut suppuratio ac habitus aegroti universus proximis diebus melior, vulnusque purius redderetur.

*Die decimo* vincula arteriarum ex vulnere prodibant, puris conditio bona, vulneris ambitus minutus, aegrotus nil nisi molestiam instrumento ipsi paratam habuit, de qua lamentaretur.

*Per aliquot dierum spatium* aegrotus peius se habuit, partim propter ciborum noxiorum clam ipsi allatorum usum, partim propter animi commotionem. Ob symptomata gastrica remedium leniter purgans adhibuimus.

*Die decimo quinto*, cathetere elastico emollito abiecto, recens est immissus.

*Die vigesimo* aegrotus hilarior fuit, nulla functio corporis a norma aberravit, vulnus repente est minutum, cicatricis in ambitu initia animadversa sunt: papillae carneae laete rubentes optimam prae se tulerunt formam.

Nolo nunc narratione nimis extensa defatigare patientiam lectorum, sed propero ad finem historiae. Conditio aegroti quovis die facta melior, suppuratioque minuta est, cicatrix versus vulneris centrum processit, in scroti parte

anteriore et superiore rugae sensim sensimque formatae sunt, vires creverunt, vir lotium retinere coepit. Cicatrice perfecta cannulam ipsi praebuimus, cuius ministerio mingeret, qua vero per breve tantum tempus usus est, nam post aliquot menses eam abiecit, lotii cum emissione tum retentione voluntatis imperio hucusque obtemperante, nec ullo amplius impedimento turbata.

*Die* 13. *Iunii* hic vir nosocomio gratissimus laetissimusque valedixit, et hodie quoque optima gaudet valetudine, et laborum molestias uti in virili aetate tolerat. Ad hanc sanitatem augendam viresque conservandas non parum conferre mihi videtur seminis resorptio: repetitis enim vicibus vir confessus est, se ante morbum et sub morbi adeo initio saepissime, morbo autem superato ne semel quidem eiectionem seminis nocturnam esse passum; quod quidem in tanta testiculorum integritate, et aetate non nimis provecta vix credi posset, nisi ad hancce facti explicationem forsitan audaciorem confugeremus.

Tabula aenea *) vulneris sanati et cicatrice obtecti imaginem sistit. Litera A urethrae orificium significat. In utroque latere herniae antea commemoratae animadvertuntur, in dextro inguinalis externa, et cruralis, in sinistro cruralis: quarum prima, inguinalis, facillime quidem pro crurali haberi potest, attamen accurata pervestigatio rem aliter sese habere me docuit. Ex longo enim temporis spatio hic vir bracherio male conformato minusque apto utitur, quod retinet modo cruralem sinistram, hernias dextri lateris autem tantum abest, ut coerceat, ut cingulo eas deprimat atque ad latus protrudat, quo magis promineant, totumque partium situm ita mutet, ut linea inter inguinalem et cruralem conspicua a ligamento Poupartii propulso effingatur; linea superior acuta supra inguinalem in conspectum veniens non minus a bracherii impressione proficiscitur, et certissime credo, hanc inguinalem iam diu in scrotum descensuram fuisse, nisi partim depressione commemorata, partim vero cicatricis firmitate via ipsi praecluderetur.

*) Vd. tab. V. E.

# III.

# Lithotomiae Paiolianae expositio.

# *Lithotomiae Paiolianae expositio.*

## Particula I.

(Quaestionum chirurg. Particula III.)

Cum quindecim abhinc mensibus in nosocomio civico Lipsiensi, a St. Iacobo cognominato, calculum ex vesica urinaria pueri undecim annos nati secundum methodum Paiolianam tam felici cum successu extraxissem, ut puer post tres menses sanatus matri pauperrimae reddi posset; plures commilitonum, qui huic operationi chirurgicae interfuerant, a me petierunt, ut ipsis hunc calculum secandi modum non solum in cadavere, quemadmodum id quotannis vi muneris mei fieri solet, denuo demonstrarem, sed etiam verbis accuratius describerem, quippe cum monographiam Rudtorfferianam [1]) ne unus quidem eorum nosset, nedum possideret. Quibus humanissimis mihique gratissimis precibus, post alteram cystidotomiam ante paucas septimanas non minus fausto cum successu peractam repetitis, non dubitavi, quin locus concedendus esset.

Hinc oblata mihi hac scribendi occasione illam Paiolianam calculi extrahendi methodum breviter exponam. Quod quidem eo minus supervacaneum mihi videtur, quod praeter Schregeri Excellentissimi [2]) librum de operationibus chirurgicis, Rudtorfferi Experientissimi opusculum laudatum, nec non Caspari Experientissimi libellum [3]) de calculo, nemo

---

1) Franz Xaver Rudtorffers Abhandlung über die Operation des Blasensteines nach Pajola's Methode. Mit 5 Kupfertafeln. Leipzig 1808. 8. 2) Grundriss der chirurgischen Operationen, von D. Bernhard Gottlob Schreger. II. Ausg. Nürnberg 1819. pag. 406. 3) Der Stein der Nieren, Harnblase und Gallenblase u. s. w. von D. Carl Caspari. Leipzig 1823 p. 145.

chirurgorum, quantum equidem sciam, fusius de ea coram republica medica disputaverit, atque adeo illius methodi auctor celeberrimus, mihique ipse praeceptor ad mortem usque pie colendus, ultimis vitae temporibus, quibus mihi ipsius lectionibus ac demonstrationibus interesse licuit, nonnulla in sua consueta procedendi ratione ita mutaverit, ut Rudtorfferi descriptio, quod pace Excellentissimi auctoris dixerim, ab omni parte perfecta appellari vix possit.

Franciscus Paiola, quondam chirurgiae in Academia Veneta Professor, et Lecatii discipulus, saepius est confessus, cystidotomiam ab ipso denominatam a Lecatiana non tam in encheiresi ipsa, quam potius in supellectili instrumentorum recedere, et medium quasi tenere inter illam cum apparatu magno institutam, atque sectionem lateralem; in qua vero affirmatione Paiola aliquid humani passus esse videtur. Nam sive positionem aegroti, sive instrumenta, sive incisionis locum, sive denique alias res spectaveris, eam ab apparatu magno potius quam a laterali desumtam esse, facillime demonstrari potest.

Quod ad indicationes sic dictas et contraindicationes huius operationis attinet, Paiola nihil habet, quod non et reliqui de chirurgia scriptores praecipiant, praeter hoc unum, quod in iis aegrotis, qui vermibus laborant, aut onaniae sunt dediti, cystidotomiam nullo modo instituendam esse praecipiat. In qua quidem re magis, quam par est, anxius fuisse videtur. Nam quamquam illae complicationes non levis sunt momenti, eas tamen non semper operationem prorsus inutilem reddere, experientia pluries repetita edoctus scio.

Instrumenta Paioliana in tabula adiecta*) depingenda curavi, quia oculis facilius, quam verbis animo repraesentantur [4]).

Conductor sulcatus Fig. 1., quindecim pollices pro adulto corpore longus, ex duabus partibus constans, a) manubrio, quinque pollices longo, ut manus latitudini respondeat, dimidium pollicem lato, et aliquantulum recurvato,

---

*) Vd. tabulam VI. E.

4) Figurae ad dimidiam magnitudinem reductae sunt.

b) **stylo**, decem pollices longo, ambitu pennae anatinae aequali, in apicem plane rotundum ac glaberrimum exeunte. **Sulcus** (c), in convexo styli latere decurrens, septem pollices longus, latitudinem et altitudinem lineae habet, et in apice clausus est, ne cystidotomus eius fines transeat partesque proximas, quarum integritas servanda est, laedat.

**Urethrotomus** Fig. 2. duas partes nobis conspiciendas offert, a) **laminam ancipitem**, tres pollices longam unumque latam, apice acutissimo finitam, in uno latere sulco longitudinali (c) praeditam: b) **manubrium**, quatuor pollices longum, in vicinitate laminae sex lineas latum, et sensim sensimque decrescens, donec in apicem transeat obtusum.

**Cystidotomus** Fig. 3. in tres partes dividendus, in a) **cultellum**, quatuor pollices longum, duas lineas latum, tenuissimum, acie acutissima instructum: b) **vaginam ex chalybe paratam**, sex pollices longitudine aequantem, et ita confectam, ut cultellus in ea latens cochleae ministerio protrudi ac retrahi, ideoque ex arbitrio chirurgi, et pro magnitudine corporis aegroti aut latum aut angustum vulnus efficere possit: c) **manubrium**, quatuor pollices longum, eoque ambitu praeditum, ut commode queat apprehendi atque tractari.

**Dilatator** Fig. 4. decem pollices longus, ex duobus brachiis compositus, a et b, simplicissimo mechanismo c coniunctis, ita ut, si in hoc latere comprimuntur, in altero a se invicem recedant.

**Director concavus obtusus (Gorgeret)** Fig. 5. quinque pollices longus, in fine a pollicis, in apice b quatuor linearum latitudinem habens, ibidemque lingula instructus; in adversa parte manubrium c quatuor pollices longum, et pollicem cum dimidio latum, perforatum et sinistrorsum conversum reperitur. Quo instrumento Paiola eum in finem usus est, ut dilatatorem atque forcipes in vesicam induceret: repetitis autem vicibus fassus est, se olim huius ferramenti usu valde esse delectatum, postea autem, ut operationis actus simplicior redderetur, rarius illud in usum vocasse.

Plures habuit **forcipes** Paiola, **maiores** atque **minores**, nec non **cochleare** ad sabulum ex vesica urinaria

eximendum. Quae vero instrumenta cum nil peculiare habeant, et cuilibet chirurgo notissima sint, ne figurae nimium augerentur, delineanda non curavi.

In promtu denique sint in tali operatione volsella, acus pro ligandis arteriis, syrinx pro iniicienda aqua, praeterea vasculum oleum lini continens, mantilia satis firma, ad pedes manibus alligandos, nec non alia in quacunque operatione necessaria, uti aqua frigida, calida, spongiae, e. s. p.

Quatuor adhibeantur chirurgi adiuvantes, quorum in utroque latere unus aegrotum in eo, quo pro operationis ratione positus est, modo ac loco immobilem contineat: tertius in latere aegroti dextro positus prehendat ac dirigat specillum sulcatum, quartus denique ad latus dextrum chirurgi adstet, ipsique instrumenta oleo bene peruncta exhibeat, eaque post usum recipiat.

In nulla fere re Paiola maiorem adhiberi iussit curam, quam in situ hominis cystidotomiae subiiciendi ordinando, et ab hoc faustum operationis exitum maximam partem pendere persuasissimus fuit: quapropter aegrotum in tabula, uti alii suadent, iacere noluit, sed potius ipsum resupinatum ac machinae aptae acclinatum in margine tabulae collocavit ita, ut truncus cum mensae superficie angulum sexaginta duorum graduum formaret. Speravit enim praeceptor venerandus, fore, ut cum aegrotus hanc tenuerit positionem, calculus in vesica repleta secundum gravitatis legem inferiora quaerens magis ad vesicae cervicem descendat, et sponte quasi inter forcipis brachia illabatur. Quam quidem spem haud vanam fuisse, plurima aegrotorum ab ipso egregie sanatorum exempla testificantur.

Pridie operationis secundum eundem Paiolam utilissimum est, eccoprotico et clysmate adhibito purgare tubum alimentarium, ne fortasse intestinum rectum, si faecibus distentum est, vel scalpelli acie vel calculi asperitate laedatur.

Totum autem operationis negotium pluribus momentis absolvi potest, quae nunc paulo accuratius exponenda sunt:

Primum momentum. Toto apparatu in ordinem redacto et bene disposito, ante omnia specillum sulcatum in

modum excessit, tubi inductio impetuose est impedita, lac infusum vero deglutitum. Hora undecima vespertina prima alvi post laesionem excretio ingenti vi est peracta.

*D.* 21. *Novembr.* Hora tertia matutina aegrotus iterum, et hora octava tertiam alvum deposuit, — quo facto lipothymia, meridiano tempore autem ferocissimo delirio correptus est, cuius violentia subuculae vehementes motus coërcentis ope reprimi debebat. Hora quinta vespertina tandem mors placida vitae miserrimae finem imposuit.

Experientissimus Amicissimusque Bockius, cum postridie, me rogante, cadaver et imprimis partes laesas cultro anatomico subiiceret, haecce invenit, et mecum benevole communicavit:

Ossis maxillaris superioris processus nasales, palatini ac zygomatici in cavitate oris frustatim supererant, planum orbitale et nasale plane collisum. Ossa palatina et lacrymalia una cum vomere desiderabantur. Ossa nasi non amplius invicem cohaerebant, sed partim in latere, partim in sinubus frontalibus delitescebant. In osse frontis paries orbitae superior pluries fissus fuit, sinus frontales prorsus evanuerant. In osse sphoenoide sinus sphoenoidales, ossicula Bertini, rostrum sphoenoidale abfuerunt, processus ensiformes fissi, alarum maiorum particulae modo supererant. Ossis temporum pars petrosa usque ad processum mastoidem fissa. Conchae inferiores aberant, superiorum pars tantum conspiciebatur, septi nullum aderat vestigium. Linguae minima tantum supererat particula. In oesophago foramina ad grossi magnitudinem observata sunt. Tubae pars cartilaginosa una cum membrana pituitaria lacerata. Nervus opticus sinister ruptus, corpus vitreum utriusque bulbi sanguine repletum erat.

Non possum sine grati animi significatione silentio praeterire Experientiss. Bockii iunioris et Richteri, Med. Baccal. dignissimi, operam, in delineandis iconibus huic commentariolo adiectis adhibitam.

Quamquam plura habeo, quae huic morbi historiae maxime memorabili addere cupiam, nolo tamen fines praescriptos migrare, sed meas qualescunque meditationes in proxima prolusione cum lectoribus communicabo.

---

contra opem ipsis latam vel suam ipsorum in profliganda vita imprudentiam aegre ferre videmus, et simulac opportunitas oblata fuit, nova de delenda vita consilia capere, custodes fallere, et postremum tanta cum constantia tum astutia perficere solent, ut victis omnibus impedimentis consilio plene potiantur[3]). Alios denique cum vitae antea spretae et exosae desiderio et cum dolorum aut e vulnere lethali aut e veneni deglutiti atrocia oriundorum ita colluctantur, ut difficile sit iudicatu, utrum a partium dilaceratione, an ab animi aerumnis et angoribus gravius afficiatur aegrotus.

Neque tamen horum ipsorum, quos ultimo loco nominavi, prorsus eadem est conditio, eadem miseries. Aliter enim res se habet cum illis, qui vel vulneribus confossi, per multos annos omnibus artis auxiliis frustra adhibitis, vel morbis continuo dolori, moerori, foeditati iunctis vexati, vitae tam miserae voluntaria morte imponere finem cupiebant, rati, ipsos cum vitae iactura ab omni quoque miseria liberatos fore: hos enim non mirum est, illud tantum dolere, quod votis exciderint suis, et per aliquod adhuc tempus, donec mors ardentissime exoptata adfuerit, inter vivos debeant morari. At dissimili valde solent esse animo, qui non tam externas quam internas moriendi causas sibi habere visi erant, in quibus sunt, qui amoris spreti et delusi, vel honoris laesi et gloriae perditae, vel rei familiaris opulentiaeque subita rerum conversione penitus concussae sensu ita sunt omni spe exuti et laetitiae per vitam nanciscendae animo privati, ut ipsa vita indigna videatur, quam diutius amplectantur. His enim melioris et laetioris sortis spes redire solet, dis-

---

3) Vir, qui iam annum aetatis sexagesimum excesserat, multisque iam antea morbis abdominis, quos sibi vita dissoluta, et ciborum aeque atque potulentorum, Venerisque abusu contraxerat, vexatus, in tam insignem respirationis angustiam, cordis palpitationem, anxietatem atque tristitiam incidit, ut ab hoc cruciatu sese liberaturus, vitamque finiturus, colli vulnus sibi infligeret. Sed spes ipsum fefellit. Etenim licet plagae adspectus teterrimus sanguinisque iactura immensa esset, vasorum tamen maiorum integritas est servata: quapropter orae vulneris consueto modo confestim coniunctae, omniaque tam feliciter peracta sunt, ut post decem septimanarum spatium ex nosocomio sanatus abiret. Sed per breve tantum tempus liberi de patris restitutione gavisi sunt, nam post paucos menses rediit intolerabilis animi afflictio oppressioque, ut senex vitam in Elystri undis deponeret.

cussa quasi nebula, qua mentis acies antea fuerat involuta, atque vehementi vitae, si ullo modo fieri possit, recuperandae desiderio corripiuntur, quare eos, cum sentiunt, se illius compotes fieri non posse, inter querelas et lacrymas animam exhalare videmus. Omnium vero miserrimos credo illos esse habendos, qui sceleris commissi culpa agitati poenaeque propterea subeundae metu territi, fortassis etiam iudicis de criminis sociis acrius inquisituri severitatem horrescentes, vitae destruendae consilium ceperant, at in eo exequendo non ex voto versati fuerant, ita ut post longiores demum cruciatus spiritum reddere possent. Hos enim patet vitae flagitiis contaminatae conscientia, sortis post hanc vitam aeternum miserae timore, corporisque laesi vulneribus quasi tribus furiis simul angi, ita ut recte dici possint mortis crudelitatem triplici modo et modulo experiri.

In horum, quos ultimo loco descripsi, numero erat is, cuius deplorandum exitum in novissima prolusione academica paucis abhinc septimanis cum lectoribus communicavi. Non enim poteram mihi temperare, quo minus de animi etiam conditione homuncionis cogitarem, cum per tredecim dies ipsius vulnus vere horrendum curarem, ipsiusque lectulo adstans ex pluribus indiciis colligere possem, quam ineffabilis esset aegroti poenitentia, metu, desperatione, immensisque doloribus cruciati miseries.

Sed postquam, quid homini mihi acciderit, verbosius fortasse, quam par erat, exposui, chirurgi partes iam suscipio, et quasdam qualescunque meditationes secundum chirurgiae praecepta institutas, in usum tironum, ad quos hae prolusiones academicae praeprimis pertinere mihi videntur, propono.

Ac primum quidem iam saepius admiratus sum, differentiam quamdam plagarum sclopetariarum haud levem, ab auctoribus chirurgicis, si Dupuytrenium[4]), chirurgum Pari-

---

4) Vid. la Lancette française. Aout. 1831. Compares quoque quae in Ephem. med. Lond. Oct. 1830 leguntur: In reply to a question proposed, „what are the effects produced by a firelok charged with powder only?“ — M. Dupuytren observed, that he knew a case, in which a man was shot with such a weapon, the muzzle close to his abdomen. His clothes and the parietes of his belly were lacerated,

siensem celeberrimum, exceperis, vel omnino silentio esse praetermissam, vel certe leviter tantummodo adumbratam. Arcus enim intensus, sive arcuballista vel sagittam, vel glandem, vel aliud quoddam corpus peregrinum proiiciens, semper uno tantum modo laedere, et si in corpus organicum agit, partium mollium dilaniationem una cum ossium conquassatione producere potest, hac solum adiecta differentia, ut si ictus comminus fit, vehementior, sin eminus, mitior appareat. Sed prorsus alio modo res sese habet, si pyrobolus pulveris pyrii ope, aut telum sine fragore aëris fortiter compressi auxilio vel glandem vel grandinem plumbeam emittit. Machina enim pyrobola longius a corpore laeso remota, vulnera eodem modo, quem antea descripsi, se habent. Sin res contrario modo comparata est, atque machina laedens in summa corporis laedendi vicinia collocata, aëris ipsius antea enormem in modum compressi et nunc subito liberati explosio vel absente corpore peregrino formidabiles effectus producit. Dupuytrenius nonnulla pericula ad hoc phaenomenon illustrandum aptissima, lectuque dignissima instituit: Cum aerebolum (Windbüchse) aëre vehementer compresso replevisset, instrumentumque contra ingentem butyri molem direxisset, exinde profundam impressionem in hoc corpore molli exortam esse observavit. Eodem experimento cum pyrobolo repetito, eundem effectum ab explosione pulveris pyrii animadvertit. Alio tempore iteratis vicibus aquae pauxillum pulveri pyrio superdedit, telumque aviculis intentavit, quo factum est, ut hae bestiolae nunc non nisi asphycticae,

---

the wound penetrated to the interior, and the man fell dead. He was examined, and M. Dupuytren was called in to decide, what the piece was charged with — whether shot, ball, or powder only; nothing was found but the wadding. Many similar cases have been reported. It often happens, that persons determined to commit suicide, forget in their bewildered state of mind to put the ball into their pistol; and frequently wretches, who wish to shok their friends with their calamity, discharge into their mouths pistols charged only with powder, but the effects are dreadful: the wadding traverses the palatine vault; if it reach the other side, the vertebral column escapes, no doubt; but there are other strange things effected. The sudden expanding of air in the mouth from the explosion lacerates the velum, and the lips and cheeks are torn in a radiated manner, in consequence of the excessive extension: sometimes the lower jaw is fractured.

nunc omnino mortuae deciderent. Ex prioribus igitur experimentis satis superque cognoscere possumus, aëris solius fortiter compressi expansionem tam repentinam tamque vehementem sufficere ad mortem inferendam, idque potius suffocationi, quam vulneri alicui inflicto esse adscribendum: extant quoque passim in pluribus observatorum operibus exempla hominum, qui necem voluntariam eodem modo sibi ipsi pararent [5]). Quapropter non mirandum est, iuvenem infelicissimum, cuius historiam tristissimam in novissima prolusione cum lectoribus communicavi, quamquam iam antea, quam ad custodiam deducebatur, consilium suicidii cepisse videatur, quamquam nil nisi pulverem pyrium sclopeto immiserat, tamen tam horrendam plagam tantamque faciei laniationem effecisse.

Hac ipsa occasione liceat meam sive sententiam, sive opinionem de aliqua medicinae forensis quaestione proponere, aliisque peritioribus diiudicandam relinquere. Credo enim, medicum forensem in sectione legali hominis vulnere sclopetario necati, ubi nec glandis metallicae, nec obturamenti firmi, nec denique ullius corporis peregrini vestigium repertum est, de probabili interfectore interrogatum, iure meritoque vel mortem arbitrariam, i. e. autocheiriam, vel, si

---

5) Eiusmodi exempli narratio legitur in observationibus cuiusdam chirurgi franco-gallici. Iuvenis cum ob grave delictum a publicae securitatis custodibus prehensus, ad custodiam duceretur, ut poenam effugeret, consilium vitae sibi adimendae cepit, eamque ob causam tubum pyrobolum brevissimum atque pulverem pyrium secum duxit, temporis brevitate autem et custodum festinatione impeditus fuit, quo minus glandem sibi pararet, cuius defectum cum in carcere observasset, pulvinare sedilis communis laceravit, et ex crinibus vitulinis in eo reconditis obturamentum formavit, et hoc modo mortem cum incredibili capitis ac faciei laceratione sibi ipse conscivit.

Praeprimis historia infelicis hominis ab Ill. Claro mecum communicata referenda mihi videtur. Vir quidam rerum domesticarum perturbatione plane confectus temporum meliorum spem abiecit, et glandis plumbeae ictu vitam cum morte commutare constituit; sclopeto vero carens, pyxidem e lamellis ferreis factam, et conservationi herbae nicotianae Brasiliensi dicatam, pulvere pyrio replevit, deinde se pronum in terram prostravit, et hancce pyxidem, cui agaricum incensum indiderat, ori aperto supposuit, quo factum est, ut aeris evolutione genae quidem enormem in modum lacerarentur, vita autem minime finiretur. Vulneris sanatio quamvis per longissimum tempus protraheretur, homuncio tamen eatenus restituebatur, ut per plures annos famuli officio in nosocomio Lipsiensi ad Divum Iacobum fungi posset.

alterius culpa mors inducta fuerit, hanc occisionem non consulto et cogitate, sed casu fortuito, v. g. repentino petulantiae motu, factam esse, suspicari debere. Nam nullo modo existimandum est, sicarium, homini insidias struentem, interitumque parantem, vel tantae inconsiderantiae esse futurum, ut sclopeti fatalis tubo nil nisi pulverem pyrium iniiciat, et sic malitiae suae eventum coecae fortunae temeritati relinquat, vel tam indomitae et effrenatae cum immanitatis tum impudentiae, ut instrumentum perniciosum adversarii, quem e medio tollere vellet, ori eum in modum imponat, ut aër pulveris pyrii inflammatione liberatus commemoratam destructionem generare possit.

---

## Particula II.

(Quaestionum chirurg. Particula VIII.)

Vulnera non mole, sed virtute aestimanda sunt.
Wedel.

Quos duos novissime edidi libellos academicos, eorum prior historiam vulneris cuiusdam sclopetarii gravissimi, posterior meditationes nonnullas de diversitate impetus machinarum sclopetariarum in universum continuit. Liceat mihi in argumento inchoato paululum adhuc morari, atque in duas mihi ipsi propositas quaestiones inquirere, quarum altera ad chirurgiam, altera ad medicinam forensem pertinet, tam arcte inter se cohaerentes, ut, si illi probe satisfeceris, haec quoque rite explicata esse videatur. Ponamus, vulnere illo ingenti iter facientem a latrone affectum fuisse, et medicum forensem sive a quaesitore sive a facinoris iudice quaeri, „quaenam causa hominis mortem induxerit, — et „utrum vulnus necessario, an fortuito lethale „fuerit?“

Utriusque quaestionis diiudicationem difficillimam esse, nemo erit, qui neget. Etenim si quis opiniones medicorum forensium de hac re diversissimas perlustraverit, deinde partium tam horrendum in modum violatarum gravitatem,

earumque in functionibus corporis dignitatem sedulo perpenderit, non potest non hancce laesionem ad illas, quas necessario lethales appellare solemus, referre. Sin autem idem experientiam consulit, et non tantum incredibilem et fere divinam naturae vim medicatricem, ad quam, imprimis a reorum defensoribus summopere celebratam, non raro provocari quasi solet, sed etiam insignia, quibus fere quotidie nostra aetate chirurgia augetur, incrementa intuetur, oppositam defendat sententiam et vulnus commemoratum fortuito lethalibus adnumeret, necesse est. Verissimum enim Eschenbachii effatum esse videtur: „Quam primum vulneris sanati exem„plum fide dignum, licet unicum in auctoribus occurrit, ut „istius modi vulnera non sint absolute lethalia sequitur [6].“ Cum vero non unum tantum, sed potius plura similia in promtu habeam vulnerum exempla, quae quamvis gravia atque periculosa, tamen felicissime sunt sanata, nonnulla eorum adiiciam, ac rem in utramque partem considerabo, ut quid verum sit, quid falsum, exinde colligi queat: quae disquisitio quanti sit momenti, iam per se est manifestum.

Si cuncta, quae partim exploratio hominis vivi, partim dissectio cadaveris docuit, comprehendimus, non possumus, quin hocce vulnus non solum pro vulnere faciei, sed etiam pro vulnere calvariae, imo baseos calvariae habeamus. Cum primum enim aegrotus, mortuo similior quam vivo, ad nosocomium esset translatus, statim metuimus, ne ossa cranii quoque graviter essent adfecta, quam nostram suspicionem verissimam esse, Exper. Bockii consueta in cadavere perscrutando industria confirmavit. Etenim „in osse frontis „paries orbitae superior pluries fissus fuit, sinus frontales „prorsus evanuerant. In osse sphenoide sinus sphenoidales, „ossicula Bertini, rostrum sphenoidale abfuerunt, processus „ensiformes fissi, nonnisi alarum maiorum particulis super„stitibus. Ossis temporum pars petrosa usque ad proces„sum mastoidem fissa.“ Quocirca iudicia chirurgorum atque medicorum forensium de vulneribus non solum faciei, sed etiam capitis audienda sunt atque ponderanda, qui in univer-

---

6) Medic. legal. p. 70.

sum omnes omnino inde ab Hippocrate ad recentissimos usque consentiunt, et uno quasi ore pronuntiant, plagas calvariae gravioribus, illas autem, quae basin calvariae vexent, gravissimis ac periculosissimis esse adnumerandas, hac tamen addita moderatione, ut hisce laesionibus diversos dignitatis et gravitatis gradus adsignandos esse statuant, et quo maior integumentorum communium partiumque ossibus circumiectarum sit dilaniatio, quo liberior arti ad ossa fracta et collisa pateat aditus, quo largius denique humorum collectorum effluvium, eo verosimiliorem esse salutis recuperandae exspectationem arbitrentur. Cuius quidem sententiae confirmandae causa observatorum omni fide dignissimorum adducunt testimonia. Si igitur illorum, quos singulos brevitatis causa recensere nolo, auctoritati aliquid tribuimus, non possumus non nostram plagam ad pessimas referre, eamque pro absolute ac necessario lethali habere. His autem alii sese opponunt, et sua ipsorum experientia freti contrariam defendunt sententiam, et similium exemplorum relatione probant, tales laesiones minime esse necessario lethales, sed mortiferam earum naturam tantummodo a rerum externarum iniquitate pendere. Horum exemplorum nonnulla cum lectoribus communicabo.

Miles inter Saxones tum gentis nobilitate, tum supremae dignitatis gradu, tum denique virtutis bellicae fama maxime conspicuus, tormento bellico minori vulnus faciei crudelissimum in Russia eum in modum accepit, ut glans per os zygomaticum sinistrum intraret, partes vicinas perforaret, et per dextrum exiret. In oppidum vicinum translatus sensim sensimque tam egregie restitutus est, ut, si iacturam odoratus ac foveolam in utraque gena exceperis, nullum restaret laesionis vestigium. Huius aegroti ad sanitatem reditus eo magis est admirandus, quo maior frigoris tunc fuit vehementia, quo tenuior idoneae curationis opportunitas, quo longior oblati auxilii mora, quo durior denique rerum externarum iniquitas.

Neque levius faciei vulnus sclopetarium erat, quod militi gallico infligebatur[7]): glans in dextra oris commissura cor-

---

7) Larrey mém. de chirurgie milit. Tom. II.

pus ingressa, regione vicina dilacerata, carnisque parte ablata, pluribus dentibus, quorum arcus alveolares denudaverat, maxillae inferioris molaribus fractis, versus pharyngem descenderat, et in interstitio, quod apophyses transversae quintae et sextae vertebrae cervicalis formant, firmissime instrusa, tamquam in recessu delituit. Larreyus, licet viam atque sedem glandis optime cognovisset, noluit tamen multis explorationis ac remotionis experimentis misero inutilem creare molestiam, sed sua eaque ampla experientia fretus, et optima quaeque a vi naturae medicatrice exspectans, in eo acquievit, ut plagae oras rectas, laeves et aequales scalpelli auxilio redderet, easque suturae nodosae et deligationis commodae ope coniungeret. Quod quidem vulnus quamquam post breve temporis spatium absque faciei deformatione coalueret, nihilominus tamen aegrotus de vehemente dolore in illa, quam glans plumbea occupabat, regione percipiendo graviter conquestus est, cuius leniendi causa caput dextrorsum inclinare cogebatur: sin autem locus ille casu vel leviter contingeretur, dirissimi inde dolores excitabantur. Accesserunt tetani prodromi, cum respirationis ac deglutitionis difficultate, sputoque sanguineo. Larreyus applicuit regioni vexatae cataplasmata emollientia et anodyna: medicamenta interna, si emulsionem amygdalarum dulcium cum nitro et opio exceperis, deglutiri non poterant. Hinc omnia in peius ruebant: musculorum enim rigor, somni defectus, aestus vehementia, clamoris saevitia, suffocationisque indicia, hominem in summo vitae periculo haerere significabant. Etsi nonnulli eorum, qui Larreyo ad curandos vulneratos milites adiutores dati erant, sanguinis effusionem in thoracis cavo adesse suspicabantur, tamen ille, ab hac opinione alienissimus, totam illam symptomatum turbam a laesione et compressione nervorum cervicalium derivavit, eamque ob causam remediorum cum externorum tum internorum continuationem commendavit. Cum die circiter decima quinta in inferiore parte lateris dextri colli ad pectus usque rubor erysipelatosus cum fluctuatione obscura in conspectum veniret, symptomatum ferocia autem vitaeque discrimen magis magisque cresceret, Larreyus, a leniore chirurgia parum auxilii sperans, nec imme-

mor effati Celsiani, maluit remedium anceps tentare, quam omnino nullum, et scalpelli mucronem in partem infimam spatii illius triangularis inter marginem posteriorem musculi sternomastoidei et anteriorem trapezii ita adegit, ut acie instrumenti exteriora versus directa vasorum iugularium laesionem evitaret, et quam primum ad corpus peregrinum accederet. Quae operatio licet esset difficillima, Larreyo tamen tam felici esse contigit, ut glandem una cum spiculo processus transversi vertebrae sextae colli apprehensam absque ulla violentia removeret. Peracta operatione tam dolorum, quam ceterorum symptomatum atrocitas cessavit, somnusque per trium horarum spatium continuatus aegrotum insigniter refecit, ac vulnus lento quidem gradu, attamen felicissime sanatum esse legimus.

Haud absimile illi vulneri, cuius historiam equidem in prima tradidi prolusione, exemplum idem Larreyus descripsit libro citato. Scilicet L. V., decurio gallicus, in Egypto ex tormento bellico maiori vulnus recepit amplissimum. Globi impetus totam maxillam inferiorem et tres quadrantes superioris abstulerat. Os ethmoides, os zygomaticum dextrum, ossa tum nasi, tum cavum narium formantia collisa: oculus disruptus, lingua prorsus lacerata, fauces et choanae narium apertae, genae sinistrae integumenta aeque ac musculi platysmamyodes et zygomaticus prorsus aberant, ita ut venarum iugularium ac arteriarum carotidum trunci nudi conspicerentur, calor naturalis, pulsus micationes defuerunt, omnesque adstantes hominem mortuum esse crediderunt. Cum aegrotus per biduum omni nutrimento caruisset, Larreyus duo vascula sorbitionis carneae cum vini pauxillo mixtae tubuli ope ipsi protinus instillavit, quo se mirifice refectum esse, laetissimis signis ac gestibus manifestare conatus est. Larreyus aream cruentam purgavit, corpora aliena ac panniculos carneos abscissos e vulnere amplissimo removit, vasorum ostiola deligavit, plagae oras, ac linguae fragmenta, quantum fieri potuit, sutura cruenta univit, ac denique lintea compressa fasciae commodae ope applicuit. Conditio vulnerati etiamsi esset valde desperata, alimenta tamen modo paulo ante commemorato tertia quaque hora oblata sunt, et vinctura

quoque vulneris propter largum salivae profluvium solito saepius est repetita. Quae cuncta cum sedulo perficerentur, L. V. sensim sensimque praeter omnium opinionem convaluit, suppuratio optima escharas removit, et carnis defectionem restituit, margines plagae tam felici successu coniunxit, ut convalescens die trigesima quinta in patriam redire posset. Ab hoc inde tempore exoptata valetudinis emendatio et completa cicatricis formatio est sequuta.

Quam historiam cum attentius apud animum meum reputo, et cum aliis huius generis comparo, parum abest, quin incredibilem eam pronuntiem. Nam Larreyus in fine suae narrationis testatur, hominem illum, qui nunc Lutetiae Parisiorum in valetudinario laesorum militum vitam degat, cibum ac potum cochlearis ope capere, et loquelae usum adeo recuperasse, ut ipsius verba intelligi possint. Quomodo autem homo, cuius maxilla inferior tota, superiorisque pars maxima abrepta, plura faciei ossa collisa, lingua penitus lacerata erat, non solum vocis humanae, sed adeo loquelae compos esse possit, id equidem non capio.

In memoriam redit alius vulneris atrocissimi ab anglico chirurgo, Henneno, publicata narratio [8]), de tribuno militum in vicinitate Bruxellarum gladio gravissime sauciato. Telum enim fatale in regione supraciliari adactum, alterius oculi bulbo destructo, tam alte penetraverat, ut faucium fornix conspici posset. Chirurgus anglicus, isque celeberrimus, plagae oras sutura cruenta univit, vincturam commodam applicuit, hominemque in nosocomium Bruxellense misit, ubi tonsor Belgicus, fibulis resolutis, vulneris cavernam linteo carpto non sine vi replevit. Haud multo post plaga artis lege iterum deligata et viri sanitas mirum in modum restituta est. Vulneris orae tam late patebant, ut maxilla superior particulis suberinis sustentari deberet; cicatrix lineam exhibebat transversam, partes molles erant coalitae, ossa autem vulnere disiuncta adhuc vacillabant.

Quam in Graefiani diarii Vol. III. p. 627. legimus plagae sclopetariae historiam, ea maximam habet cum nostra

---

8) Bemerkungen über einige wicht. Gegenstände aus der Feldwundarzney. p. 370.

similitudinem; quam quin fusius describam, certissima me impedit persuasio, neminem esse chirurgorum, qui hocce utilissimum opus non legerit. Vir in furto prehensus vitam sibi sclopeto brevioris modi, cui quadraginta grana grandinis plumbeae immiserat, adimere voluit, sed fine proposito excidit, ita ut non nisi atrocissimum vulnus sibi infligeret. Tormenti enim impetus partes mento, cui appositum fuerat, vicinas miserum in modum una cum lingua laceraverat, ossaque palatina fregerat. Cum omnia testari viderentur, mortem certissimam instare, chirurgo nil magis curae cordique fuit, quam aquae sclopetariae iniectionibus haemorrhagiam sistere, odoris putridi foetorem corrigere, et effluvium ichoris ex vulnere iuvare. Licet ab initio chirurgus ab omni vitae servandae sanitatisque restituendae spe abesset, die tamen septima suppuratio exorta est, et omnibus symptomatibus perniciem minantibus sensim evanescentibus, laesi conditio in dies in melius mutata est, ita ut die decima quarta sani instar ambulare, et die tricesima tertia a vulnere prorsus sanatus declarari posset. Quae observator ad finem relationis addidit, ea maxime memoranda videntur; licet enim omnia illa granula plumbea, excepto obturamento chartaceo, quod nona die excludebatur, in cranii cavitate restarent, nec non illa organa antea commemorata gravissime essent laesa, nihilo secius tamen sensus omnesque functiones psychicae salvae atque incolumes conservabantur.

Cum hasce historias laesionum, quae quamvis ob insignem gravitatem vitae praesentissimum periculum minari, omnemque sanitatis recuperandae spem excludere viderentur, tamen felicem habuere eventum, cum effatis medicorum antea laudatorum de lethalitate vulnerum comparamus, non fieri potest, quin illorum hoc de argumento statuta perturbentur, et incidat quaestio: quid in hacce opinionum dissensione sit statuendum, praesertim cum omnes omnino ad experientiam provocent. Cum vero lex sit medicinae forensis stabilita ac certa, ut in quacunque re, ubi vel de bonorum, vel honestatis, vel denique vitae ipsius sive iactura sive conservatione, ac de absolvendo damnandove homine quaeratur, ea semper praevaleat opinio, quae non solum civium societati consulere,

sed etiam mentem iudicum ad mitiorem sententiam ferendam ducere possit, equidem partim experientia, partim humanitate admonitus haud dubito, quin haec laesio ad fortuito lethales pertineat, credoque certissime, huius hominis vitam servari potuisse, si rerum externarum incommoditas, animique gravissimae perturbationes, v. c. a male factorum conscientia, poenitentia, pudore similibusque pendentes, removeri potuissent. Etenim haec omnia tanta vi miserum afflixerunt, ut is summo vitae taedio oborto, pertinacissime omne auxilii oblati genus reiiceret, atque sic vulnus fortuito lethale in necessario lethale mutaret.

Hac occasione oblata temperare mihi nequeo, quin brevissimis verbis dubitationes qualescunque contra sententiam a Platnero et Henkio, duumviris principem locum in medicina forensi occupantibus, propositam proferam, qua discrimen statuendum esse inter iudicium chirurgi ac medici forensis adserunt. Verba Platneri, quem quasi loquentem induco, sic se habent: „Plagarum lethalium partitio, qua „chirurgiae scriptores utuntur, ad medicinae forensis disci„plinam non debet adhiberi. Nam utriusque rem eandem „et eodem nomine pertractantis haud eadem est ac similis „ratio. Ut omittam, chirurgiae consilium tantummodo ad „plagas pertinere, medicinam forensem autem quascunque „laesiones mortiferas omnes considerare, ergo etiam inter„nas ut quae veneno aut inepta medicina fiant: illius est „praedicere, an futura esse possit sanatio, huius dicere, an „illa fieri potuisset [9])?" Quae Platnerus hic statuit, ea ne aliquantulum a veritate recedant, maxime metuo. In eo enim, nisi fallor, errat, quod chirurgiae consilium tantummodo ad plagas pertinere, medicinam forensem autem quascunque laesiones mortiferas considerare credit. Neminem vero fugit, chirurgo non modo plagas, sed etiam contusiones, sugillationes, aliasque innumeras laesionum formas saepissime occurrere, quarum curatio aeque ac aestimatio ab ipso postuletur. Pergit deinde Platnerus: „Illi praesagia sua existunt „ex plagae et aliorum symptomatum in vivo corpore obser-

---

9) Quaestiones medic. for. ed. Choulant. p. 277.

„vatione: huic ad mali vel medicabilis vel immedicabilis „aestimationem momenta tum in corpore mortuo, tum in „commentariis iudicialibus suppeditantur.“ In qua affirmatione praeceptor pie venerandus immemor fuisse videtur chirurgi forensis, qui laesionum gravitatem exitumque modo ex vivo corpore, modo ex mortuo, modo denique ex commentariis iudicialibus metitur. Cui qualicunque dubitationi Platnerus ipse, nisi fallor, occurrere voluit verbis paulo post additis: „Quod aiunt, medicis forensibus etiam de „hominum vivorum plagis, sententiam ferendam esse, id „non pertinet ad eam partem muneris illorum, quam nunc „ante oculos habemus; ergo nec ullius momenti est contra „nostrum paradoxon, per quod non chirurgiae de vulneribus „praedictiones, sed medicinae forensis de laesionibus qui„buscunque et iis quidem morte iam terminatis iudicia vole„bamus moderari,“ quibus vero verbis potius amoliri, quam solvere voluisse videtur difficultatem. Altera quoque praeceptoris indigetis assertio: „Mirum non est, multas plagas „chirurgorum spe atque sententia sanabiles censeri, quas „haud sanari potuisse, medici forenses affirmaverint omni „asseveratione,“ non extra omnem dubitationis aleam posita est, nec exemplum allatum optime quadrare videtur. Vulnus enim pulmonum intactis vasis notabilioribus interdum sanari, negari nequit, quam vero sanationem rebus externis vel impediri, vel certe retardari posse, ita ut vulnus fortuito lethale in vulnus necessario lethale mutetur, nemo diffitebitur. Quis enim quaeso chirurgorum tanta erit vel ignorantia vel levitate, ut in eiusmodi homine in prognosi constituenda viae molestiam, sanguinisque profusi iacturam aut omnino negligat, aut certe vili pendat? Quae denique Platnerus addit: „Igitur quae laesiones in aliquo homine occiso medicabiles, „quae non medicabiles fuerint, id nulla chirurgiae institu„tione satis edocemur. Namque diversis artibus ac discipli„nis ut diversum disserendi et agendi consilium est, ita nec „eaedem iis rerum, quamvis nomine similium, definitiones „aut partitiones possunt convenire,“ in iis, sicut in tota hacce expositione, artem nostram immerito vituperasse credendus est. Unde enim medici forenses decretorum suorum

argumenta petunt, nisi ex praeceptis chirurgorum, quae minime ex ingeniorum commentis, sed ex ipsius naturae observatione hausta sunt? Si Platneri sententia vera esset, chirurgia nil nisi vilis ars operosa fieret, ac chirurgus manibus tantummodo oculisque, minime vero iudicio opus haberet. In aestimandis laesionibus autem summae saepissime exorirentur contradictiones, quoniam chirurgus ex aliis regulis, quam medicus forensis rem diiudicaret.

Quam Platnerus condiderat opinionem, eandem Illustris Henkius[10]) novis argumentis confirmare studuit, quae vero ut satis firma sint, quam maxime metuo. Scilicet Henkius in ea versatur sententia, ut chirurgum putet laesiones in universum, ac uti dicunt in abstracto, medicum forensem autem in concreto diiudicare, et semper singulare quoddam laesionis exemplum ante oculos habere. Pergit deinde Henkius: „Der Rechtsgelehrte will nicht wissen, ob bei andern „Individuen eine ähnliche Verletzung (denn eine völlig gleiche „ist undenkbar) unter andern Bedingungen der Körperconstitution, des Alters, der Gesundheit u. s. f. tödtlich oder „nicht tödtlich sei, sondern ob ein unbedingter oder bedingter Causalzusammenhang zwischen der zugefügten Verletzung und dem erfolgten Tode in einem gegebenen Falle, „bei bestimmter Individualität der Person und der äussern „Verhältnisse, statt fand.“ Quam vero quaestionem non solum medico forensi, sed etiam chirurgo proponi, experientia docet quotidiana. Quotiescunque enim vel in causa privata a cognatis laesi, vel in publica a quaesitore aut a iudice mea diiudicatio laesionis postulabatur, nunquam ad laesiones in universum, unde nihil utilitatis exspectari potuisset, sed semper ad certam quandam atque finitam laesionis formam respiciebatur. Ceteroquin omnia contra Platneri sententiam monita huc quoque pertinent.

Quapropter non mirum est, si diiudicationem chirurgi ac medici forensis de vulnerum lethalitate arctissime esse coniunctam, nec ullo modo separandam censeam, quam meam qualemcunque opinionem, ne ea forsitan ambiguitate laboret,

---

10) Abhandl. aus dem Gebiete der gerichtl. Med. Bd. I. p. 149.

quibusdam exemplis comprobare studebo. Ponamus, virum quemdam, insigni ad haemorrhagias proclivitate laborantem (aus der Bluterfamilie), vulnus capitis accepisse, in se spectatum non grave, attamen tantam sanguinis copiam fundens, ut haemorrhagia sedari nequeat, laesusque in summum mortis periculum incidat, quis chirurgorum erit, qui neget, hancce exiguam plagam ad perniciosissimas pertinere, propter illam singularem vasorum amplitudinem aeque ac debilitatem. Eodem modo, uti credo, res sese habet, si v. c. homini in ultimo phthiseos stadio degenti emeticum porrigitur, quod tantum impetum in organismum exercet, ut haematemesis vehementissima, et post paucos dies mors sequatur, vix credo, ullum tantopere a veritatis studio fore remotum, quin concedat, emeticum, quod in corpore robustiore leviorem tantum effectum produxisset, in hoc homine maxime debilitato mortem effecisse, et individualiter-absolute lethale esse nominandum. Quod quoque valere videtur in exemplis ab Henkio III. allatis, ubi exigua pectoris laesio propter aneurysmatis, sive leve abdominis vulnus propter herniae praesentiam mortem creat.

# V.

# De idiosyncrasia haemorrhagica.

# *De idiosyncrasia haemorrhagica.*

## Particula I.

**(Quaestionum chirurg. Particula IX.)**

**Cum de singulari et singulorum hominum et totarum familiarum dispositione ad haemorrhagias, cuius varia in variis scriptoribus legi exempla, exponere animus sit, ante omnia opus esse videtur, ut huius affectionis aptam inveniam denominationem, Ciceroniani effati memor: „Sunt rebus novis nova ponenda nomina [1]).“ Etenim minus commoda videtur haemorrhagia haereditaria, cum facillime fieri possit, ut me haemorrhoides a patre ad filium ac nepotem veluti haereditatis iure saepissime transeuntes in animo habuisse credatur. Neque vero placuit alia denominatio ab Ottone [2]) adhibita: haemorrhagiacalis dispositio. Quamobrem permittant rogo mihi Lectores Benevoli, ut novum morbi excutiam nomen, eumque brevitatis causa in sequentibus idiosyncrasiam haemorrhagicam appellem. Est autem haec rara atque mirabilis corporis humani affectio non in Americae terris tantum obvia, sed in nostra quoque patria observatur, uti in hacce commentatione, quam scriptiunculae aliquot per occasiones academicas a me edendae comprehendent, demonstrare atque nonnullorum exemplorum mihi ipsi oblatorum relatione probare studebo. Cum plures libri, imprimis diaria, quae in tironum medicorum scriniis difficilius inveniuntur, tales historias contineant, nec quisquam hucusque, quod equidem sciam, earum collectionem instituerit,**

1) De nat. Deor. I. 17. 2) Account of an haemorrhagiacal disposition, existing in certain families; in medical and physical Journal for 1808. Jul.

liceat mihi eas breviter ac summatim perscribere, deinde quatuor morbi nostri exempla, a me ipso diligenter observata, addere, quo facto animadversiones quasdam de causis ac de diversis haec mala curandi methodis, de quibus summa inter medicos dissensio obtinet, adnectam, totamque dicendi materiam in duas sectiones dividam, quarum prior historias morborum, posterior animadversiones partim in universum, partim in hasce historias complectatur. Agmen denique claudat libellorum ad hanc rem spectantium catalogus.

Ac primum quidem hoc tenendum est, me nunc non loqui de illis haemorrhagiis, quae tamquam Deae tutelares in nonnullis febribus inflammatoriis atque inflammationibus localibus sua sponte ac solummodo vi naturae medicatricis provocatae ex naso et vasis haemorrhoidalibus cum summo aegroti levamine erumpant, ac pro moliminibus criticis habendae, omnique modo cautissime promovendae sint. Eodem modo sanguinis profluvia, quandoque in aetate infantili ex naso, in iuvevili ex pulmonibus, in virili ex vasis haemorrhoidalibus provenientia a nostris prorsus segreganda sunt. Idem denique valet de immensis et perniciosis sanguinis effusionibus, quae post mammae scirrhosae et carcinomatosae exstirpationem in ultimo morbi stadio repente ac tanto cum impetu accidunt, ut sanguis non ex uno vel altero vase, sed in tota area cruenta quasi ex cribro prosiliat, et post exiguum temporis spatium vitam miserrimam finiat. In memoriam mihi revoco eiusmodi exemplum in matrona quadam honestissima post commemoratam operationem a me observatum, quae immodica sanguinis iactura tantopere debilitata est, ut triduo elapso animam efflaret.

Liceat autem prius quam ad primam, quam feci, meae disputationis partem progrediar, quae historias hominum enumerat, idiosyncrasia haemorrhagica laborantium, morbi exemplum commemorare, cui magna cum hoc, de quo acturus sum, similitudo intercedit, et quod ob varia mira et singularia, quae offert, dignum esse videtur, quod hic locum inveniat suum. Narrat autem Smithius [3]), puerum, qui non-

---

3) Philadelphia medical Museum, 1804. Vol. III. p. 284. s.

dum primum aetatis annum expleverat, e lapsu frenulum labii superioris disrupisse, indeque haemorrhagiam perpessum esse, quae penitus compesci haud poterat, usque dum dies octava mensis Octobris, quae erat pueri natalis, comparuisset: tunc autem sponte sua cessavit profluvium. Die quarta Octobris sequentis anni e rupto sub tussi vehemente vase cavitatis narium insignis haemorrhagia oborta nullis remediis coerceri poterat, sed die natali pueri aeque ac anno praeterito iterum conquievit nullis remediis in usum vocatis. Aliquot dies ante tertiam natalem cultro vulneravit puer digitum pedis minimum tam leviter, ut cutis vix discinderetur. In auxilium vocatus medicus omnia artis subsidia frustra ad compescendam haemorrhagiam adhibuit; tandem mater ad pulverem argillae cuiusdam, in illa, quam incoluit familia, regione valde communis, qua mater cum puero illo gravida, magna cum voluptate vesci solita fuerat, confugit, atque sic profluvio finem imposuit. Qui quidem effectus utrum argillae, an potius diei natali, qua haec curatio locum habebat, tribui debeat, non liquet. Denique novemdecim ante diem natalem dies puer denuo vulneratus profluvio sanguinis quod nullo remedio, nec pulvere adeo illo argillaceo, supprimi poterat, diem obiit supremam.

## *Sectio prior.*

Quam primam refero eiusmodi idiosyncrasiae haemorrhagicae historiam, Davisio, medico in Americae civitatibus liberis artem exercenti, debemus [4]).

Puer quadriennis ex alto delapsus, plaga in occipite affectus per quatridui spatium ingentem sanguinis copiam ex parte violata perdidit, deinde vulnus ad cicatricem fere perductum post paucos dies iterum recruduit, et plus quam antea sanguinis edidit. Profluvium per biduum sedari non potuit. Tunc epistaxis accessit, profluvio seroso finita. Parentes pueri Davisio retulerunt, omnes omnino suos maternos cognatos singulari ad haemorrhagias proclivitate laborasse,

---

4) The Edinburgh medical and surgical Journal, No. LXXXVII. April 1826. Ephem. Salisburg. 1826. Vol. IV. p. 22.

ac enormi sanguinis profluvio morti praematurae esse traditos; fratrem v. c. post dentis evulsionem per haemorrhagiam exinde natam e vita excessisse, cognatas vero etsi optima fruantur sanitate, nihilominus tamen earum filios eadem idiosyncrasia haemorrhagica esse affectos. Puer ille quadriennis ipsiusque frater tredecim annos natus in illud malum tantopere proclives erant, ut non solum ex levissimis vulneribus magnam sanguinis copiam amitterent, sed etiam haemorrhagias spontaneas paterentur, quarum accessio consuetis plethorae prodromis, v. g. insomniis, aurium sonitu e. s. p., annunciaretur, effectus autem incredibilis ac fere funesta esset debilitas. Duodeviginti post lapsum mensibus praeterlapsis pueri valetudo ob iacturam sanguinis saepius repetitam teste Davisio ita fracta et concussa erat, ut, oedemate pedum cum rheumatismo chronico accedente, omnia adeo in peius ruerent, et mors proxime instaret. Doleo, exitum huius morbi silentio esse praetermissum.

Mirandum sane est, in Americae regionibus, testibus illarum medicis, mares solummodo hacce morbosa dispositione vexari, feminas vero, licet ipsae ab eadem sint immunes, eam tamen in filios propagare solere, id quod in Europa alio modo se habere, in sectione altera fusius demonstrabimus.

Vir quidam, B. B., quatuor filios habuit, quorum natu maximus ab equi calce in fronte percussus tantam vim sanguinis perdidit, ut ex vita excederet, alter levi laesione digiti indicis lethalem haemorrhagiam perpessus est, tertius profluvio sanguinis terribili a laesione regionis supraorbitalis exorta supremum diem obiit, quartus denique epistaxi frequentissima exhaustus in hydropem incidit, qui ipsum iuvenem adhuc morti traderet. Quod quidem infelicissimum fatum nec experientissimorum medicorum in auxilium vocatorum consiliis emendari penitusve averti poterat [5]).

Quae in Coatesii [6]) relationibus legimus exempla, ea tanti sunt momenti, ut unius certe diligens et accurata repetitio haud videatur incommoda.

---

5) Coxe's medical Museum, Vol. I. 6) Observations on hereditary hemorrhage. Vid. North American medical and surgical Journal, Jul. 1828. — Samml. auserl. Abhandl. B. 37. p. 697.

R. W., iuvenis, qui omnibus optimae constitutionis ac sanitatis bonis florere videbatur, hacce idiosyncrasia haemorrhagica praeprimis laboravit. Soror ipsius sanissima plures enixa erat pueros, eadem aegritudine affectos, quorum natu maximus annum cum dimidio agens ex frenulo labii superioris casu fortuito dilacerato tantam sanguinis iacturam fecit, ut malum duorum medicorum experientia excellentium artem superaret, ac misellus post breve temporis spatium extingueretur. Frater illius quindecim menses natus eandem calamitatem (mirabile dictu) expertus per triduum immensam sanguinis copiam effudit, quae non nisi ferri candentis applicatione supprimi potuit. Idem puer, decimum tertium annum agens, iterum in fronte laesus haemorrhagiae saevissimae impetu abreptus est. Iuvenis autem, de quo hoc loco agitur, cum undecimum aetatis attigisset annum, ex digiti vulnusculo, deinde paulo post ex dentis evulsi alveolo, per quatriduum haemorrhagia nonnisi cauterii actualis auxilio sedanda correptus est. Neque vero his sinistra iuvenis sors finita est. Viginti enim quatuor annos natus, exemto dente, d. XXII. Dec. tam largo sanguinis profluvio obnoxius fuit, ut medicus in auxilium vocatus, postquam vasa aperta frustra adussisset, ad aliorum medicamentorum efficacitatem confugere cogeretur. Cuprum igitur sulphuricum, particulam suberis cupri sulphurici solutione impraegnatam, linteum carptum, solutionem aluminis, agaricum alumine soluto imbutum, denique agaricum aluminis pulvere conspersum alveolo immisit, valentiore simul pressu adhibito: quibus remediis profluvium mitigatum quidem, minime vero sedatum esse legimus. Cum postridie haemorrhagia rediisset, medicique vulnus explorantes sanguinem non ex alveolo, sed ex vulnusculo vicino prodire cognossent, totaque gena cum gingivis magnopere tumeret, ac inflammata esset, areae cruentae ferro candente admoto haemorrhoea suppressa est. Nec internorum remediorum usus neglectus, sed magnesia sulphurica, deinde saccharum Saturni, pulvisque nitrosus propinatus est. Nihilominus aegrotus per plures dies perpetuo mali reditu perturbabatur, variisque aliis phaenomenis molestis, v. c. vomitu, diarrhoea, vehementibus in regione intestini coli doloribus, insigni ven-

triculi irritatione, atque totius corporis debilitate, quae aptis remediis aeque ac victu aliquantum pleniore vinique pauxillo profligabantur. Cum vigesimae octavae Dec. diei vespera febris fortis cum larga sanguinis eruptione accessisset, quae consuetis remediis non cederet, ex voto consanguineorum aegroti alius medicus in consilium vocatus est, qui ex novo et antea inaudito remedio salutem sperabat: credidit enim et ad experientiam provocavit, oris haemorrhagias, sive casu fortuito, sive arte generatas, coerceri non posse, nisi cavitas oris aperta, et maxilla inferior a superiore remota contineretur, ut suctio atque deglutitio diligentissime arceretur, quem in finem lanae glomus dentibus molaribus interpositus est, mandatumque, ut sorbitio tubuli auxilio in ventriculum transferretur. Posterius vero cum aegrotus prorsus recusaret, maxime extimescens, ne forsitan faucium atque pharyngis laesio gigneretur, omnem omnino opem propter loci incommoditatem excludens, ille nunc erectus constituebatur, fontique sanguinis agarici panniculus imponebatur. At ne hic quidem apparatus misero adiumentum adtulit, sed haemorrhagia continuata, et glomus nauseam provocans remotus est, quo facto aegrotus instinctu quasi coeco incitatus spiritum terebinthinae ori ingessit, qui tantum abfuit, ut eruptionem sanguinis vel supprimeret, vel certe minueret, ut largissimam potius efficeret. Quae cum ita essent, agarici pannicalus dentibus molaribus interpositus deligatione arctiore absque ullo tamen effectu loco sanguinem emittenti apprimebatur. Advenit nunc vomitus cum diarrhoea, largioribus laudani dosibus mitigata. Levis lipothymiae accessio ingens adtulit levamen. Nam licet omnia medicamenta essent remota, sanguinis tamen proventus per plures horas quievit. Postridie proximisque diebus sanguinis eruptiones quidem secutae, sed post breve tempus facili negotio sunt suppressae.

Quo perniciosiores autem in hoc aegroto haemorrhagias plagae leviores efficiebant, eo magis mirandum est, graviores nonnunquam exiguo tantum sanguinis profluvio ansam suppeditasse, et sine ullo sanitatis detrimento esse superatas ac sanatas, quod v. c. valet de vulneribus manus, quae sibi ille vir falce intulerat, et quorum sanatio nec medicamen-

torum heroicorum, nec ferri candentis applicationem postulavit.

Similia idiosyncrasiae haemorrhagicae exempla, a nonnullis medicis in Americae regionibus artem exercentibus in ephemeridibus medicis descripta, cum ab expositis parum differant, ea tantummodo commemorasse sufficiat.

---

## Particula II.

(Quaestionum chirurg. Particula X.)

Liceat nunc transire ad historias mali, de quo sermo est, in nostris patriis regionibus observati, ac primum quidem in scenam prodeat Experientissimus STEINMETZ, medicus Waldeckianus, qui haecce refert [7]): Vir quidam, A., viginti quinque annos natus, religionis ebraicae cultui addictus, graciliore et cachectico corpore, facie pallida, cute tenera, crinibus nigris praeditus, primum dentem molarem inferiorem dextri lateris die Iulii decimo anni MDCCCXX. evelli sibi curavit, et postridie a medico commemorato opem petiit propter perpetuam haemorrhagiae ex alveolo continuationem. Qui cum post loci affecti explorationem, atque post spongiae aqua et aceto humectatae ope institutam purgationem, sanguinem ex gingivis prorumpere cognovisset, glomum ex linteo carpto paratum, et pulvere Gummi arabici, aluminis et colophonii conspersum lacunae impressit, hac tamen cautione habita, ut particula glomi prominens a dentibus maxillae superioris alveolo fortius imprimeretur, oris cavitatem fascia commoda clausit, genae fomentationes frigidas imposuit, et corporis animique tranquillitatem diligenter commendavit. Duabus horis praeterlapsis haemorrhagia aegrotum tantopere urgebat, ut deligationis remotio necessaria videretur, quo facto medicus linteum carptum inducendum non solum pulvere illo, sed etiam acido sulphurico diluto imbuit. Sed ne

---

7) RUSTII Promtuar. chirurg. Vol. XXVII. p. 375.

haec quidem deligatio spem praeconceptam explevit, sed post brevissimum tempus renovanda fuit. Cum duabus horis absolutis iteratus impetus sanguinis foras erumpere gestientis aegrotum maximopere angeret, non solum linteum carptum concentrato acido sulphurico madidum et pulvere styptico imbutum, sed etiam compressio fortior torcularis Lampiani auxilio in usum vocata sunt, ac pro usu interno natrum sulphuricum praescriptum est. Quae remedia postquam per tridui spatium sine ullo aegroti levamine essent usurpata, et deligatio sexta quavis hora esset renovata, elixirii acidi Halleriani guttulae quadraginta, deinde octoginta altera quaque hora sunt exhibitae, quibus tandem haemorrhagia maximam partem sedabatur, ita ut postea tantummodo leves observarentur sanguinis eruptiones.

Nec in hac familia defuerunt inclinationis ad illum morbum mirabilem haereditariae vestigia, sed avus iamiam aegroti, nepote testante, adeo ad largas haemorrhagias proclivis fuerat, ut post exiguam digiti laesionem nil nisi brachii in aquam frigidissimam demissio sanguinis effluvium compescere, et mortem avertere potuisset. Post aliquot annos refrigerium ipsi febrem pneumonicam cum haemoptysi induxerat, cui septimae diei initio epistaxis lethalis accesserat.

Eodem modo pater illius aegroti in iuvenili aetate saepius diras haemorrhagias ex levissimis vulnusculis cum insigni virium iactura perpessus erat, quarum vis non nisi fomentis frigidis, compressione et medicamenti cuiusdam acidi usu frangi potuerat; annum quinquagesimum quintum agens ab hacce aegritudine liberatus, ab arthritide anomala est correptus.

Aegrotus, de quo hic agitur, octava iam vitae die post circumcisionem copiosissima sanguinis effusione laboravit, cui medicus fomentis frigidis, pulvere styptico, opiique tinctura finem imposuit.

Tres aegroti sorores, licet ipsae hoc vitio essent immunes, idem tamen, cum matrimonium inivissent, filiis tradiderunt, quorum alter in circumcisione aequalem cum avo sanguinis iacturam expertus est.

Quae huic narrationi Exp. Steinmetz subiungit: „morbum

nostrum, qui non nisi in maribus occurrat, in aetate provectiori in alium morbum transire, atque interdum tantummodo sensim sensimque debilitari et alius mali faciem induere," ea tam levibus argumentis innituntur, ut experientia facile infringantur, uti in sequentibus demonstrabitur.

Pharmacopola [8]) quidam viginti quatuor annos natus per longius iam tempus tumoribus articulorum, qui vix arthritidi adscribi poterant, laborans a levi iniuria externa tam vehemente cubiti inflammatione correptus est, ut loco vexato tres hirudines applicaret, quibus non solum gravis totius organismi irritatio, sed etiam incredibilis sanguinis profusio provocabatur. Posteaquam infusum herbae digitalis purpureae cum acido sulphurico et valentior brachii deligatio absque ullo fructu esset adhibita, et sanguine potius cum impetu prosilire pergente, vasorum actione cordisque palpitatione una cum siti adaucta, appetitu ciborum magis magisque imminuto, exitium in propinquo esse videretur, ferrum candens, ut, mortis periculo urgente, nihil intentatum maneret, in usum vocatum est, quod parum tantum expectationi satisfecit. Die decima tertia haemorrhagia tandem sua sponte cedebat. Summa corporis debilitas et oedema pedum per longius temporis spatium remanens lentissime tandem nutrientium ciborum usu superabatur. Frater huius viri natu minor eadem propensione ad haemorrhagias laboravit.

Laurentius W., vir patre sano, matre autem arthritica usus, bona fruens corporis constitutione, Theresiam, cognatam quamdam a parentibus infirmis ac debilibus ortam, in matrimonium duxit, octoque procreavit liberos, quorum tres infantes adhuc variolis erant extincti. Qui inter reliquos superstes manserat filius, eo tempore, quo haec observatio literis mandabatur, vigesimum quartum annum agens, optima gavisus est valetudine, nec ulla idiosyncrasiae haemorrhagicae indicia in ipso sunt reperta, quod idem quoque de filia natu maxima deque altera eaque minima valet. Tertia vero, Lucia, constitutionis non malae, parvula, oculos habens ravos crinesque nigros, matrimonium inivit cum Iacobo S., viro

---

8) Caspari Repert. Vol. XXVII. p. 135.

satis robusto corpore, statura media, oculis coeruleis nigrisque crinibus praedito, cuius consanguinei materni fere omnes crines rufos habuisse, a morbo autem, de quo agimus, liberrimi fuisse dicuntur. Soror Theresiae, Catharina, decem enixa est infantes, quorum octo adhuc tenelli animam efflarunt. Filius ipsius, a prima inde iuventute cutis maculis, haemorrhagiis, arthritide, et extremitatum cum superiorum tum inferiorum debilitate affectus, aetate viginti quinque annorum ab equo deiectus vi haemorrhagiae profusae ex vita excessit. Alter Catharinae filius ab haemorrhagiis quidem immunis, maculis tamen similibus a prima inde pueritia laborans, tumorem genu dextri valde dolentem expertus est, ac molestissimam pedum infirmitatem, donec anno decimo quarto superato ab onerosa mole quadam contritus miserrime periret [9]).

Lucia, adhuc puella multum sanguinis per epistaxin fortiorem, sua sponte tamen cessantem amisit, anno decimo quinto menstruationem primam experta est, quae deinde singulis mensibus bis rediit. Ceteroquin multae maculae sugillationibus similes sine ulla externa iniuria in toto huius feminae corpore, nec non exanthemata urticaria in singulis corporis partibus imprimis refrigerio excitata, in conspectum venerunt, quae vero post breve temporis spatium disparuere. Idiosyncrasia haemorrhagica in ipsa non observata est.

Filius Luciae natu maximus, Ioannes, primis iam vitae diebus sopore et catarrho suffocativo laboravit, decima quarta autem die haemorrhagiam ex vasis umbilicalibus perpessus est, quae per quatuordecim dies continuata tenellum necavit. Sanguis prorumpens rubicundus, iusto tenuior, et ad coagulationem non proclivis fuisse dicitur.

Filius Luciae medius, Michael, sanissimus natus, cum mater morbo correpta esset, per tres tantum menses lacte materno nutriri poterat, optime quidem sese habuit, decima vero septimana prodromis dentium erumpere gestientium, ptyalismo, ac diarrhoea perturbatus est. Quae quidem den-

---

9) Geschichte einer Familie von Blutern in Würtemberg, von Ellsaesser, Unter-Amtsarzt in Moehringen bei Stuttgard. Hufeland Diar. Febr. 1824. p. 89.

tium lacteorum eruptio licet iusto modo et sine gravi molestia procederet, multa tamen eodem tempore phaenomena in conspectum venere, quae diligentissima medici attentione viderentur dignissima, v. c. maculae forma irregulari et magnitudine diversae, quarum color ab initio rubello-coeruleus, saepe subcoeruleus fuit, qui deinde in viridi-rubellum et denique in luteolum transiit, ita ut sanguinem sub cute in tela cellulosa effusum esse, quilibet facile cognoscere posset. In mollissimis tantum corporis partibus, e. g. in natibus, tumor cutis ac doloris sensus, qui a matris maculis prorsus aberat, hasce ecchymoses comitatus est. Quod ad numerum harum macularum pertinet, modum eae semper tenuerunt inter quinarium et vicenarium, nec unquam sex dierum spatium superarunt, ab hoc autem tempore usque ad mortem pueri non penitus disparuerunt, sed evanescentibus semper novae successerunt. Puer octavum vitae mensem agens ex lapsu ab haemorrhagia ex gingivis per septem dies protracta, et post brevia intervalla recrudescente, nec ullo remedio externo sedanda correptus est. Cum pedibus uti inciperet, ob eorum infirmitatem saepissime lapsus, et tunc vehemente epistaxi modo per octo, modo per quatuordecim dies, interiectis brevissimis intervallis, continuata et imprimis noctu ipsum vexante afflictus est. Superato primo vitae anno, sexta quaque septimana larga sanguinis ex naso profluvia sua sponte ingruebant. Sanguis tenuis ex utraque nare prorumpens thrombos, respirationem impedientes, formavit, quibus non sine dolore remotis haemorrhagia repente rediit, donec thromborum repetita generatio malo finem imponeret, vertigo et lipothymia accederet, totiusque corporis superficies praesertim in proxima aurium vicinitate pallesceret, et cerae albae colore tingeretur. Anno aetatis tertio puer novacula digitum sibi vulneravit, qui immensam sanguinis copiam effudit, cui effusioni post octo demum dies fortissima digiti constrictione succurri potuit. Post quatuor mensium intervallum puer e lapsu in haemorrhagiam narium incidit, quae exceptis brevibus intervallis per sex fere septimanas ipsum vexabat, et imprimis sternutatione augebatur. Paulo post tussis convulsiva cum dirissima epistaxi puerum adgressa est,

absente tamen vomitu. Quodlibet vulnus, vel levissimum, sanguinem tenuem tardissime coagulantem, ab initio atrum, ad finem profluvii autem pallide rubicundum et loturae carnis similem nec non odorem foetidum spargentem fudit, vulnus vero ipsum rarissime in suppurationem transiit, sed semper fere per primam intensionem coaluit. Haemorrhagia ubi per longius temporis spatium abfuit, symptomata plethoram testantia accesserunt, quae non nisi repetita sanguinis excretione amovebatur. Quindecim menses ante obitum pueri insignis ad arthriticos dolores in ipso comparuit proclivitas, qui maxime extremitates occupabant, ac noctis tempore ad summum gradum adscendebant, sanguinis profusione mitigabantur, tempestate calida evanescebant, autumno autem et hyeme aeque ac tempestate humida crudelem in modum recrudescebant. Non ita multo post tumor pollicis pedis, brachii, genaeque lateris dextri, serius quoque cubiti sinistri accessit, quem denique tumor albus genu sinistri sequutus est, puerum lecto diu tenens, qui cum vesicatoriorum auxilio ad maximam partem disparuisset, similis tumor in axilla dextra, et post octo dies in genu dextro exsurrexit, qui vehementer dolebat, incessum vero non plane impediebat. Puer lapsus in tumorem, qui genu occupabat, haemorrhagiam profusam per plures dies protractam perpessus est. Cui cum post nonnullos menses hirudines essent appositi, eorum ictus per triduum tantam sanguinis copiam effuderunt, ut haemorrhagia non nisi spongiis spiritu vini madidis, et apta deligatione compesci posset, et aegrotus per tres septimanas summa debilitate laboraret. Licet articuli affecti maxima remansisset infirmitas, tumor tamen in genu conspicuus ita decrevit, ut tenellus non solum incedere, sed etiam salire posset.

---

# Particula III.

(Quaestionum chirurg. Particula XI.)

Quod ad habitum pueri, cuius in secunda prolusione mentionem fecimus, externum, functionesque corporis attinet,

capillos ex rubro flavescentes, oculos coeruleos, gracilem quidem, attamen regularem corporis staturam, cutem albidam, coeruleis venarum ramis pellucentibus distinctam, excepto tamen commemorato statu plethorico, habuit. Vertiginis, lipothymiae aut cyanopathiae vestigia nulla prae se tulit. Ciborum appetitus quamvis esset exiguus, maximopere tamen puer raphani rustici, ciborum acidorum et refrigeratorum, lactisque esu, interdum etiam arenae atque calcis ex muris abrasae deglutitione delectatus est. Animi dotibus non caruit, sed ingenii celeritate, discendi cupiditate, ac praecipua ad cantum docilitate excelluit, nec non alacritate ac morum mansuetudine proximos familiaresque suos longe superavit.

Quo communior autem certiorque fuit haemorrhagiae largioris ex quacunque vel minutissima epidermidis et cutis laesione timor, eo magis mirati sunt parentes pueri, cum ex vulnusculis ipsi annum tertium agenti in variolarum vaccinarum insitione inflictis nil fere sanguinis excerneretur. Cum puer, quartum annum ingressus, (d. XXI. Nov.) caput contra fornacis prominentiam illisisset, sibique in osse parietali dextro laesionem vix conspicuam contraxisset, non nisi tres sanguinis guttulae ex ea effluxerunt, plaga ipsa autem eschara statim est obducta, et pueri valetudo per quindecim dies incolumis remansit, donec (d. V. Dec.) motu corporis vehemente escharam avelleret, quo facto crudelissima haemorrhagia, ad mediam usque noctem protracta, et cum vomitu atque epistaxi coniuncta, exorta est, sanguine tenuissimo, carnis loturae simillimo, nec ad coagulationem prono effluente. Postridie ante lucem motus febriles ac sopor, paulo post summa debilitas, oculorum rigor, pallorque totum corpus occupans mortem annunciabant, quae eiusdem diei hora nona antemeridiana sequuta est. In cadavere genu dextrum rubebat, et in totius corporis superficie viginti antea descriptae maculae conspiciebantur. Addidit denique mater, aures defuncti ultimo ante obitum mense colore rubicundo fuisse tinctas, qui illa haemorrhagia lethali demum in exsanguem et cereum quasi transiisset.

Filius Luciae minimus, I. Iacobus, bono corporis habitu, oculis coeruleis, capillis rutilis, cute tenera praeditus, et a

partu inde usque ad septimanam vitae undecimam qualiscunque omnino morbi expers, incidit, ut primum dentes primores erumpere inciperent, aeque ac Michaelis frater, in singularem totius organismi infirmitatem, similesque ecchymoses est expertus, quae tamen in eo a fraternis maculis differebant, quod earum numerus minor, earum regeneratio esset rarior. Quae in Michaele a tenerrima inde aetate observabantur aegritudines, e. g. proclivitas ad profusas haemorrhagias et arthriticas molestias, eae a Iacobo usque ad finem primi bienii prorsus abfuerunt, ita ut vel in dirissimis tussis convulsivae accessionibus nec epistaxis, nec post laesionem digitorum larga sanguinis profusio locum haberet. Biennio superato diathesis scrophulosa cum phaenomenis consuetis vermiumque suspicione in conspectum venit, qua de causa medicamenta antiscrophulosa una cum evacuantibus propinabantur, quae largas excretiones alvinas easque cruentas provocabant, simulque malorum commemoratorum diminutionem secum ducebant. Mense praeterlapso vulnusculum in vertice pueri exortum ab initio nonnullas sanguinis guttulas fudit, post biduum autem largissimae haemorrhagiae occasionem exhibuit, quae non nisi valentiori agarici impressione sedari potuit. Sanguis ab initio ater et tenax, serius autem rubicundus ac tenuissimus, non tamquam per siphonem eductus alternis vicibus emicabat, sed potius quasi ex spongia provenire videbatur. Quae ab Exper. huius historiae auctore in hocce puero conspicuae commemoratae fuerunt affectiones, v. c. dentitio difficilis, ophthalmia chronica cum insigni photophobia, ac palpebrarum oedema, cutis pruritus, imprimis in volis manuum, in dorso e. s. p., eae omnes, num ad morbum nostrum tamquam earum causam referendae sint, dubitandum est.

Triste et lethale huius morbi exemplum a Richardo Blagdenio, chirurgo Londinensi, relatum legimus [10]).

Iosephus Lancton, adhuc puer, haemorrhagiam ex alveolo dentis extracti per viginti et quod excurrit dies continuatam

---

10) Case of a fatal haemorrhage from the extraction of a tooth, by R. Blagden etc. Med. chir. transact. Vol. VIII. p. 1. p. 224.

expertus est, similemque iacturam sanguinis post levem syncipitis plagam fecit, quae ne deligatione quidem vasis laesi, sed tantummodo kali puri applicatione, in partibus mollibus escharam, in osse autem exfoliationem producente, coërceri potuit. Licet paulo post odontalgia ipsum crudeliter vexaret, metus tamen rediturae haemorrhagiae, quo minus aegrotus statim ad ultimam chirurgiam, i. e. ad dentis remotionem, confugeret, impedimento fuit; quem timorem non inanem fuisse, eventus docuit. Nam cum cruciatus de die in diem crevisset, operationi tandem miser tricesima Iunii die se subiecit, quam reformidata sanguinis profusio comitabatur, et ad quartam Iulii diem continuabat, donec Experientiss. Brodieus in consilium vocatus cauterium applicaret, quo haemorrhagia quidem per sex horas suppressa fuit, tanto autem impetu postridie resuscitata, ut non nisi in vinculo carotidi communi iniecto unica servandae aegroti vitae spes reposita esse videretur. Sed haec quoque spes et medicum et aegrotum fefellit. Vulnus enim in operatione ipsa inflictum paulo post tantam vim sanguinis evomuit, ut ne glacie quidem adhibita haemorrhagiae saevitia coërceri posset. Die Iulii septima aegrotus animam efflavit.

Nunc mihi veniendum est ad históriam eiusmodi idiosyncrasiae haemorrhagicae in familia quadam Saxonica ab Exper. Krimero observatae, et in Hornii, Nassii, Henkiique diario descriptae [11]). Avi materni huius familiae, optima sanitate bonaque corporis constitutione gavisi, ad senectutem pervenerant, nec unquam in ipsis ulla morbi nostri vestigia conspicua fuerant. Patruus maior epistaxi, post quemcunque motum corporis levemve nasi laesionem redeunte, et per septem dierum spatium protracta, ac summam debilitatem inducente, affectus fuerat. Qui cum annum vigesimum tertium ageret, rheumatismis maloque haemorrhoidali vexatus, annoque sequente phthisi extinctus fuit. In reliquis tribus avi fratribus haemorrhoides quidem ac rheumatismi, minime vero insignia sanguinis profluvia adfuerant. Mater familiae tres sorores et quinque habuit fratres, cum corporum

11) Archiv für medicin. Erfahrung; Mai, Juni 1820. p. 409.

robore, tum animi praestantia excellentes, qui in prima iuventute haemorrhagiis necarentur. Natu maximus sexennis, post levissimam digitorum laesionem, alter septennis e narium haemorrhagia octo dies durante, tertius ex manus vulnusculo, quartus itidem ex epistaxi, quintus denique ex haemorrhagia, post dentis evulsionem exorta, vitae valedixit. Mater ipsa, corpore sanissimo praedita, annos duodeviginti nata viro robusto nullaque aegritudine contacto nupserat, e quo duas puellas ac quinque pueros concepit, quorum natu maximus rheumatismis et epistaxi laboravit, et post levissimae iniuriae externae accessionem in loco vexato tumorem et sugillationem passus est. Septennis, cum in os procubuisset, dente sibi eliso, in haemorrhagiam incidit, non nisi post septem dies simul cum vita desinentem. Alter, eodem malo affectus, mentis vigore aeque ac corporis debilitate conspicuus, nono aetatis anno ex digiti indicis vulnere tam enormen sanguinis copiam amisit, ut brevi post supremum diem obiret. Tertius, licet saepius haemorrhagiis vexaretur, nihilominus tum temporis, cum haecce historia literis mandaretur, tricesimum sextum egit annum. Quartus, inde a biennio mictu cruento, imprimis luna crescente, afflictus, anno quinto transacto prorsus debilitatus vitam deposuit. Quintus denique gracilis, vividus, sensu molliori vigens, arte musica, occupationibus mechanicis, nec non iis negotiis, quibus feminae fungi solent, delectatus, saepius sanguinem per septem vel novem dies e naribus emisit, quem tandem serum sequutum est. Cum anno decimo tertio pubertatis una cum gastrodyniae signis accessissent vestigia, in vultum cecidit, sibique epistaxin vehementissimam contraxit, quae per quatuordecim dies ipsum, emaciato prorsus corpore, tandem necavit. Omnes illi fratres commemorati capillis flavis, cutis candore, venarum turgore, faciei pallore praediti, et ad lipothymias vertiginemque propensi fuerunt, et animorum pariter ac corporum similitudinem maximam prae se tulerunt, et ex rebus inanibus ac pusillis ingentem perceperunt voluptatem.

Medius illius familiae frater, cuius iam antea mentionem fecimus, superstes, corpore optime formato instructus,

eaque organismi, quae ad vitam longaevam requiri solet, fabrica, iride coerulea, cute candida ornatus, colore faciei pallido ac lurido, vultuque peculiari, levem quasi crapulam significante, praeditus, validos turgescentesque habet musculos, insigni musculorum vi, sensibus acutis, animique dotibus ceteros vincit, et perpetua animi hilaritate ac voce sonora gaudet. Ex illis, quae de sua vita retulit, haecce imprimis notanda videntur. Proclivitas illa ad larga sanguinis profluvia nonnisi superato quinto aetatis anno, praesertim inter septimum nonumque annum, quam maxime apparuit, deinde aliquantulum mitigata, anno decimo tertio iterum vi maxima sese manifestavit. Etiamsi parentes experientia docti omnem operam adhiberent, ut qualemcunque iniuriam externam ab ipso averterent, interdum tamen vulnuscula sibi contraxit, quae per octo aut duodecim dies ingentem sanguinis copiam effundebant, quod quidem profluvium, omnibus tum internis, tum externis remediis frustra tentatis, solo lipothymiae accessu sistebatur. A septimo inde anno rheumatismo genuum pedumque male affectus, a decimo quarto usque ad duodevigesimum annum frequentiori epistaxi ac haemoptysi correptus est, quae sensim in crudelissimum rheumatismum ac dolorem renum et denique in haematuriam per octo dies continuatam, aegrotum magnopere debilitantem, et quarta quaque hebdomade redeuntem transiit. Hoc ipso aetatis tempore inclinatio ad sanguinis effusiones tanta fuit, ut ex quaque levissima plaga locus affectus confestim intumesceret, atque sugillationis signa distincte comparerent, digestione, quae antea optima erat, eodem tempore peiore reddita. Circa annum vigesimum secundum commemoratorum morborum agmen minutum, ac valetudo emendata est, haematuria rarius, nec nisi post nimii vel caloris vel frigoris admissionem, una cum doloribus rheumaticis redibat. Paulo post crudelissima ac tam immensa odontalgia accessit, ut tribus septimanis miserrime transactis solummodo in dentis evulsione, propter haemorrhagiae metum valde quidem suspecta, unicum salutis praesidium positum esse videretur. Quem timorem non inanem fuisse, exitus operationis, licet a dexterrimo chirurgo esset instituta, satis superque testatus est.

Tanta enim sanguinis profusio ex alveolo sequuta est, ut prima die tres librae sanguinis cum dimidia excernerentur. Quamquam a celeberrimis medicis optima quaeque ac probatissima remedia styptica in usum essent vocata, uti v. c. aqua frigida, glacies, acida, spiritus vini, compressio, immo ferrum candens, haemorrhagia tamen per novem dies est protracta, medicique de vita aegroti desperarunt, mortemque in propinquo esse professi sunt. Sed „non omnia eveniunt, quae praedicta sunt *)." Etenim homo quidam nugas sympatheticas atque superstitiosas tentavit, quibus peractis cessavit haemorrhagia, viresque recepit aegrotus. Die vero decima quarta alveolus duri panis mastucatione irritatus sanguinem iterum emisit, cuius effusio repetita sympathiae auxilio denuo sublata nec umquam amplius observata est. Cum tandem per varios casus ad annum vigesimum quartum pervenisset, matrimonium inivit cum puella sanissima atque robusta, ex qua tres liberos suscepit.

Etsi sexto post nuptias mense rheumatismi, dolores nephritici cum largo mictu cruento per octo dies ipsum adgressi sunt, non sine laetitia tamen se ex hoc inde tempore ab illa idiosyncrasiae haemorrhagicae molestia liberatum esse animadvertit. Qualecunque enim vulnus fortuito casu ipsi inflictum tumorem quidem atque ecchymosin partis laesae, neutiquam vero illam, ut antea, immensam sanguinis profusionem creavit. Anno vicesimo octavo haematuria in haemorrhoides transiit, quo factum est, ut rheumatismi raro tantum, nec nisi haemorrhoidibus tempore verno suppressis, aut neglectis victus curiosi legibus redirent. Liberi ipsius, duo pueri atque puella, omnes graciles quidem atque proceri, pallidoque faciei colore, ab illa tamen ad haemorrhagias proclivitate prorsus immunes reperiuntur.

Matris familias illius soror quinquaginta octo annos nata valetudinem vultu prodit, viro sanissimo, etiamsi septuagenario robusto nupta, quatuor peperit liberos, duas puellas totidemque pueros, quorum natu minor brevi post partum e vita est egressus. Filius natu maior, hucusque superstes,

---

*) Cic. de nat. Deor. II. 4. E.

gracilis, tener, macilentus, pallida facie, insigni sensibilitate ac perpetua agilitate corporis eminens, in omnibus fratri consobrino simillimus est. Cum parentes huius similitudinis non immemores curam gererent, ut ab ipso omnes omnino corporis laesiones averterentur, dubitandi locus relinquitur, an huic quoque idiosyncrasia haemorrhagica inhabitet, nec ne. Sorores ipsius optima statura gaudent, prosperrimae sanitatis ac iuventutis bonis florent, corporis robore abundant, ac ne minima quidem morbi, de quo agimus, vestigia prae se ferunt.

---

## Particula IV.

(Quaestionum chirurg. Particula XII.)

---

Ex eodem diario, unde nuper [12]) Krimeri observationem de idiosyncrasia haemorrhagica depromsi, liceat historiam huc pertinentem antecedenti simillimam hoc loco enarrare. In oppidulo Coloniae Agrippinae vicino par coniugum vivit, cuius filii optime formati morbo, de quo agimus, minime tamen a parentibus accepto laborant. Pater enim integerrima fruitur sanitate. Mater, quae antea tam profuso fluxu menstruo subiecta erat, ut interdum is per decem septimanas sine intermissione duraret, nunc de cordis palpitatione conqueritur. Licet laesiones externae in hac femina haemorrhagias enormes non provocent, tamen vel levissimae iniuriae externae macularum coerulearum eruptioni occasionem praebent. Hi parentes quinque pueros ac tres puellas genuerunt. Filius natu maximus per totum lactationis tempus praeter faciei pallorem oedematosum sanus fuit, qui, ubi ab uberibus puer removebatur, demum in ruborem naturalem transiit. Quod in nonnullis hominibus et quam maxime in scrophulosis ac rhachiticis observare licet, corporis imbecillitatem animi vigore quodammodo compensari, in hoc quoque puero obveniebat. Etenim animi dotibus excelluit.

---

12) Quaest. chirurg. Part. XI. Vd. p. 147.

Rebus nocentibus, v. c. ictui, expositus puer macula coerulea in loco affecto notabatur, post longius demum tempus disparente. Fere triennis in superficie pollicis inferiori vulnus sibi inflixit, e quo tanto cum impetu sanguis prorupit, ut neque parentum neque chirurgi in auxilium vocati opera coerceri posset, sed non nisi vitae extinctione fluere desineret.

Alter, qui nec laesionem nec haemorrhagiam unquam perpessus est, pene bimulus febre hectica vitae valedixit.

Tertius, quartum annum agens, dum Brassicae rapae radicem dentibus discindere conaretur, linguam morsu vulneravit. Quod quidem vulnusculum adeo largam sanguinis fudit copiam, ut, cum efficacissima remedia et ferrum adeo candens frustra adhibita fuissent, post triginta sex horas puero vitam eriperet.

Quartus, in cuius corpore a qualibet violentia externa maculae coeruleae, immo interdum nigrae comparuere, quadriennio nondum exacto febri scarlatinae epidemicae succubuit.

Quintus denique inde a triennio frequentiori epistaxi fere lethali laboravit. Inter octavum nonumque annum largissima haemorrhagia ex gingivis accessit, ipsumque post triduum morte cruenta confecit.

Eiusdem familiae filiae, licet post quamcunque vel levissimam adeo laesionem consueto plus sanguinis amittere soleant, ceteroquin tamen optima valetudine fruuntur.

Quamvis breves sint observationes, ab Illustri Experientissimoque Puchelto [13]), quondam Lipsiensi, nunc Heidelbergensi Professore medicinae, de nostro factae morbo, tamen silentio eas praeterire nolo. Civis cuiusdam oppidi Badensis, viginti septem annos natus, staturae mediocritate et corporis infirmitate conspicuus, a parentibus sanis oriundus, iam ab incunabulis inde a maculis sanguineis et ecchymosibus in variis corporis partibus, imprimis in brachiis pedibusque, sine ulla externa irritatione maximeque noctis tempore prodeuntibus infestatur. Epistaxis ter repetita ipsum adeo debilitavit, ut asphycticus esse videretur; quam haemorrhagia

13) Heidelberger klinische Annalen, Bd. III. H. 3. Heidelb. 1827. p. 344.

gingivarum sequuta est. Vulnusculum digiti tantam sanguinis copiam eiecit, ut plura mantelia manui circumiecta post brevissimum temporis spatium sanguine maderent. Cum annum octavum ageret, tumor in genu post admissum refrigerium ortus, saepius simili de causa revocatus est. Illustris PUCHELTUS aliquando ab hoc viro propter sugillationem, quae nocte proxima antecedente sine ulla causa manifesta totam brachii superficiem occupaverat, in auxilium vocatus, medicamenta resolventia adhibuit, ac membrum totum fasciis involvit tam felici cum successu, ut sugillatio intra breve temporis spatium dispareret.

Frater natu minor, illo paulo robustior, sed aeque ad haemorrhagias pronus, lapsu cutem capitis leviter vulneravit, cum sanguinis profusione fere funesta.

Tertius haemorrhagia ex vulnere levissimo vitae valedixit.

Horum fratrum sorores, optima valetudine fruentes, cum matrimonia contraxissent, cum filiolis suis propensionem ad cutis maculas, sugillationes, epistaxin, nec non ad alias haemorrhagias, quae in fratribus conspicua erat, communicarunt.

Liceat nunc familiae cuiusdam hac ipsa dispositione morbosa affectae historiam ab Experientissimo HENRICO CHRISTOPHORO RIEKEN [14]), Ducatus Birkenfeldensis medico, in peculiari libello traditam et commemoratione maxime dignam hoc loco breviter et summatim repetere.

Ernest. P., pater huius familiae, rusticus, et illo tempore, quo Exp. RIEKEN hanc commentationem scripsit (1829), octoginta sex annos natus, modica magnitudine, robusto corpore ac fibra stricta, qualis senum esse solet, praeditus, ab idiosyncrasia nostra semper remotissimus, et si nonnullos leviores morbos, v. c. herpetem humidum, variolas, ac febrem miliarem, quos iam adolescens superaverat, exceperis, semper sanissimus, et senectute uti dicunt viridi gaudens, annum vicesimum octavum agens, Sophiam M. L., virginem haemoptysi

---

14) Neue Untersuchungen in Betreff der erblichen Neigung zu tödtlichen Blutungen, hauptsächlich in ätiologischer und therapeutischer Hinsicht mit besonderer Beziehung auf eine Familie von Blutern im Grossherz. Oldenburg; Fürstenthum Birkenfeld, von D. HEINR. CHRIST. RIEKEN, Physicus jenes Fürstenthums. Frankf. am M. 1829.

et phthisi pulmonali affectam in matrimonium duxit, quae nona post primum partum die summopere debilitata ad superos transiit. Filiolus ipsius maxime infirmus decima quinta post matris obitum hebdomade eclampsia mortuus est. Mense decimo octavo viduus Elisam, uxoris defunctae sororem, septemdecim annos natam et pusillam, coniugio secum iunxit. Quod ad habitum valetudinemque huius feminae spectat, nil certi liquet. Praeter plethoram et sanguinis ad caput congestiones nulli aegritudini obnoxia fuisse dicitur. Anno tricesimo doloribus arthriticis tentabatur, qui sensim sensimque in cyphosin et asthma periodicum transibant. Accessit denique summa virium defectio, phthisisque pulmonalis cum symptomatibus hydropicis, quae feminam anno sexagesimo sexto exstinxerunt. Duodecim (septem pueros, quinque puellas) enixa est liberos, quorum quatuor (duo pueri totidemque puellae) in prima iuventute partim variolarum partim eclampsiae saevitie ex vita excesserunt. Duo filioli vomitui cruento, tertius haemorrhagiae post dentis evulsionem, filiola denique haemorrhagiae ex frenulo linguae discisso succubuerunt.

Tres filiae superstites pubertatem ingressae sunt, ac matrimonium cum viris sanis inierunt. Natu maxima aeque ac media quatuor peperit liberos, variis quidem malis, minime tamen idiosyncrasia haemorrhagica laborantes. Natu minima, cuius vita imprimis ad nos pertinet, ab incunabulis inde valetudinis imbecillitate vexata, anno decimo tertio prima catameniorum molimina est experta; viro optime conformato, robusto, et si auditum iusto difficiliorem exceperis, sanissimo nupsit. Frequentiori odontalgia, rheumatismis, ischiade Cotunniana, psoitide, in puerperio febre miliari, cutis pruritu intolerabili, et tempore graviditatis plethora venaesectionem postulante perturbabatur, in partu largam sanguinis copiam perdidit, et per sex septimanas lochiorum fluxionem passa est, laesiones atque contusiones haud aegrius quam alii homines pertulit. Sex liberos (quatuor pueros, duas puellas) edidit, quorum tres filii haemorrhagiarum vehementia ex vita excesserunt. In natu maximo septimum vitae mensem agente prima idiosyncrasiae haemorrhagicae signa, v. c. maculae ecchymosibus similes, modo maiores, modo minores,

et antea iam saepius commemoratae, observatae sunt. Anno vitae primo peracto puerulus vulnus morsu inflixit linguae, quod per quatriduum ingentem sanguinis copiam eiecit, nec prius, quam summa debilitas ac color corporis cereus accessisset, remediis aptissimis coërceri potuit. Sex mensibus elapsis haemorrhagia narium sine causa externa sequuta est, quae ipsum fere necavit, et ad quartum usque et dimidium annum tertio quovis mense una cum omnibus orgasmi sanguinis signis rediens, semper per plures dies perseveravit. Inter quartum quintumque annum dolores extremitatum vagi apparuere vehementissimi, qui tumore genu albo mitigabantur. Plura remedia antiscrophulosa externa hunc tumorem quidem minuebant, sed brevi post repetita haemorrhagia simul cum enteritide oborta vitam pueri quadriennis finiebat.

Nec alter puer ab illa idiosyncrasia haemorrhagica immunis fuit, sed modo ex area furunculi sub axilla dextra exorti, modo ex frenulo labii inferioris, modo ex naso, modo denique ex linguae apice sanguinis iacturam perpessus est, quam partim naturae, partim artis adiumento feliciter superavit, donec quinquennis haemorrhagiae narium crudelitate morti traderetur.

Tertius primum ex vulnusculo frenuli linguae multum sanguinis amisit, deinde autem mense vitae decimo tertio diem obiit supremam.

In diario quodam franco-gallico [15]) duo exempla idiosyncrasiae haemorrhagicae legimus, quae quo rariora sunt, eo magis mentione digna et ad nostram exemplorum collectionem pertinere videntur. Femina iunior, felicis corporis constitutionis, dolore abdominis crudelissimo correpta in nosocomium quoddam suscepta est. Quindecim hirudines abdomini applicabantur, a quibus inflicta vulnuscula cum famulae negligentia per integram diem sanguinem fudissent, neque haemorrhagia summam virium debilitationem inducens cum tonicorum irritantium remediorum tum cauterii ipsius ope sisti posset, aegrota eadem die animam efflavit. In

15) La Lancette francaise, 19. Jan. 1833. Froriep Notiz. No. 775. p. 79.

cadaveris sectione singularis viscerum pallor sanguinisque defectus inveniebatur.

Viro viginti quinque annos nato atque robusto colica laboranti itidem duodecim hirudines circa umbilicum apponebantur. Licet summa opera adhiberetur ad haemorrhagiam sedandam, nihilominus tamen sanguinis effluvium per viginti tres horas continuabat, et unum imprimis ostiolum quatuor lineas supra umbilicum tantam copiam sanguinis emisit, ut lapidis infernalis aeque ac ferri candentis potentia frustra in usum vocaretur, et vita brevi post terminaretur. In cadavere aperto cor totusque contextus cellulosus sanguine caruit.

Quinque abhinc mensibus relatio idiosyncrasiae haemorrhagicae huc spectans nobis oblata est in ephemeridibus Francofurtensibus [16]) D. — in certamine singulari vulnus superficiale in gena d. 9. Febr. accepit, et nona eiusdem mensis die, quoniam idiosyncrasia haemorrhagica laboravit, mortuus est. Cui historiae locus quidam, ex Wagneri Anthropologia populari desumtus, annexus est: Singularis quaedam sanguinis conditio in nonnullis hominibus observatur, quae efficit, ut levissima laesio non raro lethalem haemorrhagiam inducat. Sanguis tenuissimus est, et vasa sanguinea omni omnino contractionis vi carent. Quae inclinatio ad haemorrhagias haereditaria est, et per plures generationes propagatur, sed in sexu tantum potiori occurrit. Centum abhinc annis femina quaedam in provincia Angliae vixit, cuius filii hac aegritudine mirabili essent affecti. Quaelibet laesio, v. g. venae sectio, vel statim vel post nonnullas septimanas haemorrhagiam vitaeque finem produxit. Filiae huius familiae, licet ab hoc malo essent immunes, idem tamen filiis ipsarum tradiderunt.

Initio seculi praeterlapsi senex quidam A. in Anglia haemorrhagiam ex pedibus excoriatis et ex urethra ortam lethalem est perpessus. Cuius senis filiam D. S. in matrimonium duxit, et quinque filias filiosque duos genuit, qui haud sistenda sanguinis iactura necabantur. Plures huius viri posteri, aetatis

---

16) Frankf. Ober-Postamtszeitung, Beil. zu Nr. 48. 17. Febr. 1833.

flore vigentes, eodem modo vitae erepti sunt. Quod de antea commemoratorum parentum filiabus diximus, idem in hisce quoque est observatum.

Nec reticenda est observatio quaedam ab Excellentissimo Amicissimoque Cerutti instituta, mihique benevole tradita. Civis Lipsiensis, quadraginta circiter annos natus, in prima iuventute incredibilem sanguinis copiam per epistaxin amiserat. Cum vero ad pubertatem pervenisset, haecce ad haemorrhagias propensio prorsus disparuit. Eo magis est mirandum, filiam ipsius hanc idiosyncrasiam haemorrhagicam haereditate a patre accepisse, et septemdecim annos natam narium haemorrhagia, qua antea saepius iamiam laboraverat, e vita exiisse. In cadaveris sectione cordis hypertrophia teste Exc. Cerutti in conspectum venit.

---

## Particula V.

(Quaestionum chirurg. Particula XIII.)

---

Praeter illa, quae hucusque in quibusdam prolusionibus academicis narravi, idiosyncrasiae haemorrhagicae exempla, ab aliena experientia desumta, nonnulla alia a me ipso observata, et commemoratione dignissima in promtu mihi sunt, quorum expositionem nunc cum lectoribus communicabo.

Ac primus quidem nominandus mihi videtur iuvenis quidam sedecim annorum, a patre valetudinario genitus, a matre sanissima natus, longa gracilique statura, crinibus rutilis, oculis coeruleis, facie pallida, dentibus cariosis, thorace angusto, scapulis prominentibus, abdomine inflato, totius corporis habitu phthisico, temperamento phlegmatico praeditus, quem duro vitae initio usum esse iure meritoque contendimus. Pater enim in ipso aetatis flore morte inopinata e vivis sublatus filiolo tum septenni triste sui desiderium reliquit. Vitricus, quem mater pauperrima, viduitatis aerumnosae pertaesa, secundis nuptiis paulo post mariti obitum vitae socium sibi elegerat, morum feritate insignis, ac famae honestatem parum aestimans, puerum ad labores iusto duriores

subeundos verberibus ac ieiunio adegit, quo factum est, ut puer in virium infirmitatem incideret, quae non tam certi morbi praesentia, quam potius hilaritatis iuvenilis absentia, animique morositate sese manifestaret. Infantiles, uti appellantur, aliosque minoris momenti morbos absque graviori molestia superavit. Cum ad aetatem iuvenilem transiisset, opera quotidiana mercenaria victum parcum sibi parare maluit, quam vitrici saepe stomachantis inhumanitatem diutius perferre, et hac de causa caementariis subministravit. Etsi hactenus ne levissima quidem idiosyncrasiae haemorrhagicae significatio in ipso adfuerat, haud fieri tamen potuit, quin in hoc, quod sibi elegit, vitae genere, fortiores musculorum motus corporisque intentionem maiorem postulante, occasio frequenter sese offerret, quae hancce ad haemorrhagias propensionem promoveret. Etenim integumentorum communium pollicis dextri laesio vix nominanda tam profusum et per plures dies continuatum sanguinis profluvium genuit, ut iuvenis in summo vitae periculo versari videretur. Vere sequente, cum tegula ex tecto domi cuiusdam delapsa in iuvenis sinciput irruisset, sibique vulnus cutis leve effecisset, chirurgus dexterrimus in consilium vocatus, licet omnem in vasculorum laesorum deligatione et compressione operam adhibuisset, enormem tamen haemorrhagiam compescere non valuit, sed post horae spatium propter profluvii reditum totam deligationem renovare coactus fuit. Operatione finita etsi omnia bene se habere videbantur, tamen superati periculi spem inanem fuisse experientia demonstravit. Etenim fluxus sanguinis tanta cum vehementia denuo prorupit, ut quovis artis auxilio spreto, per plures dies sine ulla intermissione profluere continuaret, et faciem perpetuo cruentaret. Quaecunque pharmacologia aeque ac chirurgia remedia styptica aliaque auxilia nobis offert, ea omnia, ne ferro quidem candente excepto, frustra sunt in usum vocata. Cum transactis hoc modo aliquot septimanis iuvenis ad nosocomium nostrum esset translatus, nec quidquam, quod tentari posset, restaret, victus parcissimus propinabatur, non sine spe, fore, ut vasorum ieiunitas et corporis infirmitas sanguinem ad vitam conservandam quam maxime necessarium retineat. Pro usu

interno medicamenta martialia atque acida tam vegetabilia quam mineralia, tantopere in hacce ad haemorrhagias dispositione laudata, adhibebantur. Iam vulneris adspectus laetior, ambitusque fuit angustior, sed post paucos dies sanguis, maiore cum impetu effluens, aegrotum magnopere debilitavit. Quae cum ita essent, in ultima demum chirurgia, i. e. in ferri candentis applicatione repetita, salutem quaerendam esse credentes, ne hanc quidem crudelem, sed plerumque efficacissimam encheiresin, etiamsi inviti, praetermittere voluimus. Erat enim nobis metus, ne forsitan sanguinis profluvium supprimentes sive necrosin ossium calvariae sive in hac tanta cerebri vicinitate encephalitidem provocaremus. Interea tamen Celsiani effati memores anceps remedium tentare maluimus, quam omnino nullum. Peracta operatione per plures dies haemorrhagia cessavit, et res aegroti salva esse videbatur. Quo blandior vero expectatio felicis eventus nobis arrisit, eo maiorem eius frustratio nobis iniecit terrorem. Tantum enim abfuit, ut in perpetuum haemorrhoea cessaret, ut potius repente malum vehementiori cum saevitia renovaretur, iuvenemque necare minaretur. Nihilominus aegrotus, vanitatem artis tam medicae quam chirurgicae pertimescens, et summa animi demissione correptus, qualiacunque auxilia heroica constanter deprecatus est, tolerabilius sibi esse asserens, „morbi vi emori, quam tentatae curationis doloribus ad exitium usque misere torqueri." Qua de causa non mirum est, nos ab iterato ferri candentis usu prorsus abstinuisse, ac tantummodo in compressionis applicatione acquievisse, alterno ministrorum studio per plures dies continuato. Quae denique simplicissima agendi ratio, una cum adhibitis remediis commodis coniuncta effecit, ut profluvium sanguineum supprimeretur, et iuvenis sensim sensimque ad sanitatem satis tolerabilem perveniret.

Quas hactenus descripsi haemorrhagias immodicas, eae omnes a laesionibus et iniuria externa provocabantur; sed occurrunt etiam passim eiusmodi terribiles sanguinis profusiones ex partibus non violatis, et ex integumentis communibus salvis et integris per poros cutaneos, uti confestim quibusdam exemplis probabo.

Adolescens viginti duorum annorum, opifex scriniarius, a sanissimis parentibus ortus, formosa facie, statura longa et procera, constitutione corporis optima praeditus, temperamento sanguineo, animique alacritate et hilaritate gaudens, superatis morbis infantilibus nulla amplius aegritudine vexatus, sex abhinc annis propter mirum ipsique maximopere molestum malum a me auxilium petiit, mihique haecce retulit: Cum ante plures menses opificio suo diligenter operam dedisset, tibiale sinistri pedis madidum fieri senserat, cuius phaenomeni causam agnoscere cupiens tibiale removit, ipsumque sanguine rubicundo madere conspexit. Huius rei novitate obstupefactus fontem sanguinis inquisivit, cumque guttatim ex integumentis communibus genu exsudare intellexit. Nec vulnus, nec dolor, nec alia quaedam passio adfuit, quae iuveni, si immunditiem inevitabilem exceperis, ullam incommoditatem creasset. Quae excretio sanguinea posteaquam per triduum ipsum vexaverat, sua sponte cessavit, nec quidquam morbosi reliquit. Ab hoc inde tempore vel quinta vel sexta quaque septimana phaenomenon illud rediit, eundemque decursum obtinuit. Quamquam in causis huius incommodi indagandis omnem adhibueram industriam, confiteor tamen, me ne minimum quidem vestigium indolis scorbuticae aut alius dycrasiae invenire potuisse. Defuerunt quoque haemorrhoidalia molimina, aeque ac sanguinis dissoluti signa, pedumque superficies tumoribus venarum varicosis plane caruit. Ceteroquin sanguinem effluentem ex arteriolis provenire, eiusdem color rubicundus me docuit. Quae cum ita se haberent, malui a iuvantibus nocentibusque deducere curationis leges, quam in amplo coniecturarum oceano circumnavigare. Cum ex aegroti relationibus cognossem, haemorrhagiae illius spontaneae reditum calore accelerari, frigore retardari, victum parcum et acidulum, acida mineralia ac balnea subfrigida commendavi, nec non similes fomentationes loco vexato, imprimis paroxysmi tempore applicui. Quibus remediis frustra per integrum mensem in usum vocatis, ad similia, v. g. alumen crudum, pro usu interno aeque ac externo transgressus sum, minime tamen exinde utilitatem percepisse ingenue confiteor. Maximopere doleo, quod abitu

illius iuvenis ex nostra urbe impeditus fuerim, quo minus, quid postea ipsi acciderit, observare possem.

Virgo proba et honesta undeviginti annos nata, statura compressa, corpore bene nutrito, animo hilari, temperamento sanguineo praedita, praeter leviores morbos infantiles aegritudinis qualiscunque prorsus ignara, eum in modum, ut ne catameniorum quidem ordo unquam perturbaretur, subito sensu quodam titillante in cantho oculi dextri interno, brevi post in dolorem exiguum transeunte, est adfecta. Cum locum dolentem speculi auxilio contemplaretur, guttulam sanguinis rubicundi ex caruncula lacrymali nequaquam laesa exsudantem observavit, quae sudario sedulo remota paulo post denuo scaturiebat. Quamquam lintea compressa aqua frigida madefacta applicuerat, excretio tamen sanguinea per aliquot dies continuata est, donec sua sponte cessaret. Pluribus septimanis sine hoc stillicidio transactis illud iterum apparuit, eandemque molestiam attulit. Si quis forsitan in hocce phaenomeno insolito excretionem vicariam adesse crediderit, moneo, fluxum menstruum minime fuisse interruptum, ac ne levissima quidem amenorrhoeae signa se prodidisse. Sicuti in praecedente morbi historia nec mea aegroti observatio, nec ipsius relatio viam ad cognoscendam haemorrhoeae indolem mihi potuit munire, ita in hac quoque aegrota mali diagnosis densa caligine obducta inveniebatur. Quapropter a clara rationis luce desertus, ab experientia tantummodo auxilium petere coactus, fomentationes frigidas ex solutione aluminis crudi paratas proposui, spe fretus, fore, ut hoc modo vascula, quae magnopere dilatata credidi ac debilitata, ad fortiores contractiones incitarentur. Cuius quidem medicamenti actionem ut augerem, derivantia, v. c. pediluvia e. s. p., commendavi. Etsi ab initio haemorrhagia sedabatur, post nonnullas tamen septimanas reversa est, omnemque meam industriam irritam reddidit. Num forsitan postea alius medicus in consilium vocatus in debellando hoc morbo felicior fuerit, nescio.

Civis cuiusdam Lipsiensis coniux, morum probitate conspicua, triginta sex annos nata, tenerrimae corporis constitutionis, et non solum habitu phthisico, sed etiam incipiente

phthisi laborans, anno h. s. vigesimo secundo, postquam tertio tunc abhinc anno puellam infirmam, post paucos menses mortuam, peperisset, gemellos, quorum alter mortuus, alter asphycticus erat, edidit. Hic indefessa medici obstetricii, qui parturienti auxilium tulerat, cura in vitam revocatus tam tener et debilis fuit, ut metueremus, ne proxima post partum nocte animam efflaret. Sed in hoc pusione, quid natura, matris et materterae amore, medicique studio adiuta, efficere possit, luculenter palam factum est. Etsi enim ipsius lactatio propter matris imbecillitatem parcissima fuit, paulatim tamen tenerrima vitae scintilla refocillata est, ut omnes propinqui laetum corpusculi infantilis incrementum admirarentur. Primo vitae anno transacto repente sine ulla causa externa brachii dextri paralysi puer affectus est, quae triduo elapso sudoris largi proruptione sublata quidem est, ita tamen, ut pluries postea rediret, nil vero periculi relinqueret. Silentio non praetereundum puto, in hocce infante exiguam adfuisse propensionem ad variolarum vaccinarum virus recipiendum, quippe cum earum inoculatio non nisi tertia vice tentata felicem haberet successum. Ceterum puer sic satis bene valuit, et ad quinquennii usque finem levibus tantum ac brevibus incommodis est vexatus. Deinde autem epistaxis enormis inopinato exorta est, sic ut sanguinis copia profusi libram excederet, atque totius corporis superficies colore cereo pallesceret, et mors in propinquo esse videretur. Per aliquot dies qualiacunque alimenta respuebantur, et vita non nisi potulentis mucilaginosis sustentabatur, viresque medicamentis acidulis erigebantur. Sic sensim sensimque tenellus priorem valetudinem recuperavit, excepta tamen congenita infirmitate, ex corporis gracilitate nata, et vix umquam prorsus tollenda. Omnes enim corporis tam durae quam molles partes ita sunt comparatae, ut propius ad fabricam organismi feminini, quam masculini accedant. Illa peculiaris ad narium haemorrhagias proclivitas ab illo inde, quo primum se manifestavit, tempore nequaquam deleta est, sed vel quinto, vel sexto quoque mense redit epistaxis, puerum immensa sanguinis copia privat, ipsius vitam semper maximo exponit periculo, et quacunque vel exigua aegritudine,

v. c. catarrho et indigestione, excitatur. Largissimum autem sanguinis ex naso effluvium rubeolis et morbillis accessit, adeo parum medicamentis compescendum, ut de inevitabili pueri morte non dubitaremus. Haec immanis ac saepius repetita sanguinis iactura, licet in paroxysmo ipso et brevi post momentaneam inducat infirmitatem, tantum tamen abest, ut corporis incrementum retardet, aut animi facultates debilitet, ut puer manifesto crescat, et in litteris, v. c. imprimis in arte musica ac delineandi, nec non in linguae latinae atque gallicae studio optime proficiat. Temperamento hilari et sanguineo, animi alacritate, ingenii praestantia, ac discendi cupiditate gaudet, ac ludis puerilibus magnopere delectatur. Reliquae corporis functiones optime procedunt, et sperandum est, fore, ut in posterum, etiamsi duris negotiis suscipiendis impar fuerit, votis tamen et expectationibus propinquorum ex ipso conceptis iusto modo satisfaciat.

v. c. catarrho et indigestione, excitatur. Largissimum autem sanguinis ex naso effluxum rubeolis et morbillis accessit, adeo parum medicamentis compescendum, ut de inevitabili pueri morte non dubitaremus. Haec immanis ac saepius repetita sanguinis iactura, licet in paroxysmo ipso et brevi post momentaneam inducat infirmitatem, tantum tamen abest, ut corporis incrementum impediat, aut animi facultates debilitet, ut puer manifesto crescat, et in litteris, v. c. inprimis in arte musica ac delineandi, nec non in linguae latinae atque gallicae studio optime proficiat. Temperamento hilari et sanguineo, animi alacritate, ingenii praestantia, ac discendi cupiditate gaudet, ac ludis puerilibus magnopere delectatur. Reliquae corporis functiones optime procedunt, et sperandum est, fore, ut in posterum, etiamsi doctis negotiis suscipiendis impar fuerit, votis tamen et expectationibus propinquorum ex ipso conceptis justo modo satisfaciat.

# VI.

## De prognosi in morbis chirurgicis cautissime sistenda.

## *De prognosi in morbis chirurgicis cautissime sistenda.*

### Particula I.

(Quaestionum chirurg. Particula V.)

Non omnia eveniunt, quae praedicta sunt.
Cic. de nat. D. II. 4.

Quemadmodum studium indefessum optimorum et medicorum et chirurgorum in praedictionibus aegritudinum caute formandis maximopere laudandum est atque imitandum, ita aliorum sive levitas sive temeritas, qui in qualicunque morbo et in pessima aegroti conditione optimam ac certissimam salutem ipsi promittunt, reprehendenda videtur et iure meritoque fugienda. Et illam quidem praestantissimam atque divinam fere et vaticinandi quasi artem antiquissimis iam temporibus summa laude esse elatam, ex veterum medicorum, imprimis ex immortalis Hippocratis, uti ex Galeni operibus optime cognoscimus. Simili modo recentiores aeque ac recentissimi medicinae magistri eruditissimi eum medicum curationis rationem optime moliri, qui ex praesentibus affectionibus futura praenoverit, et crediderunt et docuerunt, omnemque adhibuerunt operam, ut hanc artem, quantum fieri posset, certam et indubitatam redderent. Nihilominus tamen omnes uno ore ad hunc usque diem, licet inviti, confitentur, prognoseos constitutionem tantis premi difficultatibus, ut non raro doctissimus adeo et experientissimus turpiter decipiatur.

Si quis forsitan quaerat, qui tandem fontes sint illorum errorum in prognosi commissorum, tres praeprimis appellandi mihi videntur: verae experientiae defectus, — nimis magna

et fere superstitiosa artis salutaris aestimatio, — et nimia placendi cupido.

Etsi inter omnes constet, gravissima bonae prognoseos in morbis constituendae argumenta ex iusta corporis fabrica, habitus firmitate, constitutionis praestantia, aetatis vigore, causarum praegressarum exiguitate, animi tranquillitate, rerum externarum commoditate denique, malae autem ex rebus contrariis esse desumenda, nequaquam tamen negari potest, multa in organismi humani latebris delitescere, quae prognosin inopinate mutare possint, et quae vel ab acerrimo medici ingenio nec cognosci, nec eiusdem maxima solertia e medio tolli queant; quam meam sententiam experientia satis probat quotidiana.

Quis est, quin sciat (ut ad pauca tantummodo ex chirurgia, quae imprimis ad me pertinet, petita exempla provocem), lithotomiam, sub optimis auspiciis propositam, et insigni dexteritate peractam, non raro vermium in tubo intestinali habitantium praesentia corrumpi atque irritam reddi? Quis est, qui neget, operationes ophthalmiatricas in corporibus miasmate scabiei occulto laborantibus non nisi cautissime esse instituendas? Quis denique tantopere esset improvidus, ut fistulam ani in homine, phthisi pulmonali exhausto, chirurgiae ope sanare conaretur? Nihilosecius tamen cuicunque attento observatori eiusmodi levitatis exempla interdum occurrent. Sic memini e. c. ophthalmiatri cuiusdam, terras promiscue peragrantis, qui triginta circiter abhinc annis mulierculae pauperrimae, glaucomate utriusque oculi per longam iam annorum seriem laboranti, praesentissimam cernendi facultatem, contradicentibus Goepelio, Gabrielo ac Gehlero iuniori, viris tunc temporis lectissimis, polliceretur, et lentem obscuram extrahere auderet, ac profluvium sanguinis et collapsum bulbi tanquam res nullius momenti consideraret.

Quem secundum errorum in prognosi formanda commissorum fontem statuebam, eum quoque experientia comprobat quotidiana. Invenimus enim medicos, qui in arte nostra aestimanda omnem excedunt modum, ita ut cunctorum vel desperatissimorum morborum sanationem ab ea

certissime exspectent, eiusque fines arcte circumscriptos prorsus ignorare videantur, et omnia potius audeant, quam ut artem interdum mali pertinacia et saevitia vinci posse, et vere vinci fateantur, licet quotidiana rerum humanarum contemplatio contrarium satis demonstret.

Nec tertii errorum fontis exempla ex alto sunt repetenda. Etenim in conspectum veniunt medici, qui cuicunque aegroto eiusque amicis, etiamsi omnia in deteriora ruant, vires vitales in dies minuantur, febris phthisicae pernicies crescat, sudores colliquativi organismum magis magisque exhauriant, et vel imperitissimus artis quisque exitium in propinquo esse intelligat, nihilominus opem promittant, omnemque timorem abiiciendum esse, vultu hilari, solummodo ne forsitan displiceant, affirment.

Quae cum ita sint, apud animum constitui meum, nonnullas morborum historias commemoratione dignissimas, tam ex mea ipsius, quam ex aliorum observatione haustas, cum lectoribus communicare, quorum eventus exspectationi nequaquam respondebat. Bene quidem scio, nonnullos hac de re me esse reprehensuros, quoniam in plurimis eiusmodi relationibus exoptatissimum semper exitum legere solemus. Quibus reprehensionibus duo, quae opponam, habeo: primum enim in talibus narrationibus veritatis studium nec levem, nec, ut opinor, lectoribus ingratam esse debere commendationem; deinde monendum est, non viris eruditis, sed potius tironibus erudiendis hanc prolusionem academicam esse dicatam, qui iuventutis floridae alacritate et praepotentis ingenii impetu decepti, quemcunque morbum sanari posse credant.

Quam nunc referam, prima morbi historia ex ophthalmiatria electa est.

Femina quaedam proba, civis honesti Lipsiensis vidua, 59 annos nata, tenerae corporis compagis, temperamenti sanguinei, speciem integrae et incorruptae sanitatis prae se ferens, nec ullo gravi malo, si morbos infantiles exceperis, ab incunabulis affecta, cuius fluxus menstruus octo abhinc annis sine incommodis cessaverat, circa annum aetatis quinquagesimum levi visus perturbatione, imprimis meridiano tempore, correpta est. Obiecta nigra, v. c. panni expansi

area, pulvere cano tenui tecta, orbiculus lunae duplex, candelae flamma quintuplo circiter maior ac corona radiata circumdata, aer plumulis, muscis volitantibus atque corpusculis fuscis aegrotae repletus videbatur. Obiecta bulbo directe opposita neutiquam, lateralia autem bene conspiciebantur. Quae visionis hebetudo cum de die in diem cresceret, aegrota vitae actuosae adsueta, diu noctuque coecitatem deplorans, (d. VII. Febr. 1813) a me auxilium petebat, et omnia antea exposita phaenomena mecum communicabat, ita ut de cataractae praesentia dubitare non possem, quam meam suspicionem oculorum adspectus reddebat certissimam: nam utriusque iridis laete coeruleae pupula arctissima quidem, sed sensibilis, ac motu vegeto praedita, applicatis vero narcoticis magnae dilatationis capax apparebat, lens crystallina cana et opaca, praesertim in centro, minus obscura versus peripheriam conspiciebatur, et ab uvea multum distabat, circulus niger in margine pupulae consuetus in conspectum veniebat. Quae cum ita se haberent, cataractam crystallinam hic adesse collegi, medicamentorum cum internorum tum externorum usum tanquam inutilem reiiciendum, et cum in operatione omnem salutis spem repositam esse intelligerem, extractionem lentis reclinationi praeferendam esse iudicabam, eamque post nonnullos menses, omni visus acie amissa, (d. XIV. Aug. eiusd. anni) sub optimis auspiciis, quibusdam commilitonibus adstantibus, in oculo sinistro suscipiebam. Incisione corneae ac punctione capsulae lentis feliciter peracta, cataracta durissima absque difficultate et humoris vitrei iactura prodiit, et spectatores pupulae claritatem admirati sunt. Operatione finita cum experimenta instituerentur, femina res obiectas, v. c. vasculum vitreum vino rubro repletum, distinxit, hominesque ipsam cingentes agnovit, ac laetitia exultans gratissimum animum prae se tulit. Vespera eiusdem diei optime sese habuit, nec de dolore nec de ullo incommodo conquesta est, noctu placide dormivit, ac postero mane nil nisi temporis tarditatem, solitudinis molestiam, atque situs supini iniucunditatem accusavit: nec rubor adfuit palpebrarum, nec tumor, nec immodicum lacrymarum profluvium. Quae exoptata aegrotae conditio cum per plures dies con-

tinuaretur, nec ulla lugubris lamentatio perciperetur, summaque ipsius esset in victu temperantia, iucundissimam alui spem, fore, ut eventus felicissimus opus susceptum coronaret. Femina ipsa illud temporis momentum avidissime exspectavit, quo ad conspiciendae lucis amoenitatem perveniret. „Sed profecto fortuna, Sallustio testante, in omni re domi- „natur, ea res cunctas ex libidine quam ex vero celebrat „obscuratque.“ Etenim postquam sexta post operationem die, vinculis solutis, palpebrae cautissime essent apertae, femina proh dolor! ne tenebras quidem a luce distinguere, nedum res externas cernere valuit. Cum in causas huius tristissimae nec opinatae rei inquirerem, capsulae lentis parietem posteriorem opacum esse animadverti; ceterum bulbus parum fuit inflammatus, corneae vulnusculum clausum, cornea ipsa pellucida, pupula dilatata. Qua calamitate femina moerore quidem affecta, minime tamen spe fuit orbata, sed alteram operationem a me acriter postulavit. Non ita multo post, bulbi repletione restituta, ac inflammatione prorsus fugata, destructionem capsulae posterioris tenuissimae acus auxilio, (d. XI. Oct. eiusd. anni) eo facilius suscepi, quoniam omnia animo tranquillo perferebantur. Toto negotio absoluto, consueta aegrotae hilaritas rediit. Bulbus per aliquot dies haud doluit, hinc ne levissima quidem inflammationis suspicio. Omnes functiones iusto modo processerunt; nihilominus tamen exitus iterum non satisfecit exspectationi, nam diductis palpebris, oculi conditionem explorans, tunicam scleroticam iridemque inflammatam, corneam maxime opacam, pupulam clausam, camerae oculi anterioris fundum aliquantulum materiae purulentae continentem reperi: coecitatem completam hic adfuisse, nemo erit, qui dubitet. Hypopyo et inflammatione idoneo medicamentorum apparatu fugatis, femina praeter animi demissionem atque summam debilitatem sic satis mediocriter se habuit, et quam primum aliam quandam operationem (pupulae artificialis formationem) a me petiit. Etenim tanta fuit ipsius visionem recuperandi cupiditas, ut vel aperta incertissimae prognoseos expositione a proposita tertia operatione arceri non posset, sed (ut verbis ipsius utar) vitae iacturam perferre mallet, quam tenebrarum

moestitiam. Posteaquam argumenta ad persuadendum aptissima ad consilii mutationem nihil omnino efficere posse cognovissem, miserae succurrere studens, corectomiam Beerianam in interiori iridis latere sub maxima praedictionis ambiguitate (d. XIII. Mart. 1814) suscepi, ut aegra, etiamsi non sanaretur, certe inveniret aliquam malorum levationem. Quo artificio chirurgico absque ulla interpellatione absoluto, infelix nostra spem salutis eximiam concepit, omnesque molestias, ex inflammationis oculi vehementia, doloris crudelitate, largoque lacrymarum profluvio haud exiguas, per plurium dierum spatium placate ac moderate pertulit, sed incredibili terrore perculsa est, cum quinto die, fascia remota, ne levissimum quidem lucis haberet sensum. Cuius summae coecitatis causa haud latuit, pupula enim recens formata tam firmiter fuit obserata, ut vix levissimum ipsius superesset in iride vestigium. Quamvis sperassem, fore, ut doloris acerbitas una cum inflammatione, quam traumaticam esse credidi, medicamentorum vi vel prorsus fugetur, vel certe mitigetur, haec tamen spes blanda tandem vana reperiebatur. Nam inflammatio in dies aucta est, et dolor, temporum regionem occupans, quotidie miseram ab hora prima matutina ad quartam usque pessime habuit, ex quo arthriticam ipsius indolem cognovi: cui malo ut pro viribus occurrerem, antimonii praeparata aliaque eidem fini inservientia medicamina praescripsi, quibus phaenomenorum commemoratorum turba lentissime depellebatur, ita ut oculus, quinque septimanis praeterlapsis, iterum posset perlustrari. Vix necesse est, ut aerumnas deplorandae feminae, ex hac fortuna adversa iterata profectas, describam, quae, quamvis animo esset valde afflicto, tamen rem inchoatam deponere nolebat, sed eo ardentius a me flagitabat operationis repetitionem, quam eo diligentius evitare studebam, quo plura atque graviora incommoda ab irritatione partis vexatae saepius revocata timenda esse intelligebam. Rogavi quidem aegrotam, ut cuilibet alii ophthalmiatro alterius oculi curationem traderet, confisus, illum sub melioribus forsitan auspiciis rem suscepturum esse, sed vana fuit spes mea! Etenim aegra repudiavit consilium, ac quotidie precibus instabat, ut quam celerrime ad hanc rem dif-

ficilem quidem, sed (uti aiebat) certissime frugiferam properarem. Adductus igitur officio, fide, misericordia, (d. IX. Iun. 1814) invitus tamen atque meticulosus, incertam spem certissimae praeferens desperationi, coredialysin in iridis, quod naso propius est, latere suscepi. Oculus insignem in modum fuit tranquillus, ita ut haec ultima operatio rite procedere, et pupula satis ampla ac triangularis, cuius vertex in media iride, basis ad ligamentum ciliare esset, formari posset. Cum dolor atrocior, et sanguinis profluvium largius, quam in prioribus fuisset operationibus, statim finita coredialysi, ut iritidi, qua nihil magis mihi extimescendum videbatur, praevenirem, linteola compressa, aqua frigida madefacta, bulbo imposui, post sex horas autem hirudines duodecim pone aurem, et nuchae regioni sinapismum applicui, nec non victum tenuissimum praescripsi. Nihilominus tamen doloris immanitas his omnibus subsidiis coerceri non potuit, sed aegrotam per plurium dierum noctiumque spatium incredibili modo exercuit, ita ut dirissima deliria cum totius corporis perturbatione accederent, eamque in vitae discrimen adducerent. Quapropter ab usu mercur. dulc. et apparatus antiphlogistici applicatione salutem exspectavi. Nec exitus meam spem omnino fefellit. Inflammatio enim minuta, restitutio visus autem non secuta est, sed cum, fugata photophobia ac depulso palpebrarum tumore, liberior via ad bulbum pateret, pupula recens facta tantopere constricta conspiciebatur, ut vix acus apicem aequaret, et ne minimo quidem lucis radio aditum ad retinam concederet.

Satisne magna haec calamitas videtur? Nulla fere, opinor, maior! Nonne haec nostra aegrota miserrima habenda est, quae ex tanta malorum compage nihil reportavit, quam completae coecitatis moerorem atque desperandi licentiam?

Sed admiranda est illa incredibilis organismi humani vis, quam naturae medicatricem appellare solemus, quae in nostra aegrota omnem vel audacissimam exspectationem superabat, ac miraculum quasi ante oculos mihi ponebat.

Ut paucis referam, muliercula animi aegritudinis pondere oppressa, simulac ex hoc ultimo experimento frustra tentato omnes res perditas esse cognoverat, animum prorsus

moresque mutavit. Etenim sicut antea fuerat hilaris, placida, mitis ac mansueta, tam rationis legibus, quam medici voluntati obtemperans, ita nunc eadem tristis, pertinax, iracunda ac ferox est reperta, quae omnia omnino consilia medica reiiciebat, medicamenta proposita repudiabat, vitamque cum morte commutare cupiebat. Cum ipse valetudine adversa per plures septimanas impedirer, quo minus eam viserem, — ecce! repente sine duce, res externas optime discernens, et prae laetitia lacrymas effundens, (d. XXV. Sept. e. a.) in meum domicilium intravit, et se visionis recuperatione incredibilem in modum delectari verborum flumine exposuit. Stupeo, — nec satis aut oculis meis aut auribus credo, atque identidem me, num recte sive audiverim, sive viderim, interrogo. —

Quae quidem mirifica et incredibilis fere rerum mutatio quomodo tandem facta sit, interrogata femina huiuscemodi mihi explicationem exhibuit: „Se quinque abhinc septimanis „leni intimi oculi titillatione, non ita quidem molesta, repente „fuisse correptam, quae per tres circiter dies protracta, in „exiguum transiiset dolorem, qui parum modo ipsi parasset „incommoditatis, ac larga lacrymarum effusione esset finitus, „tunc accessisse primum tenebrarum dissipationem, quae „sensim sensimque in benignam discernendi facultatem, — „denique ad praesentem visus gradum adscendisset.“

Quanto gaudio me affecerit oculi huius per varios casus tandem aliquando restituti contemplatio, verbis exprimere nequeo. Etenim globi volumen nec auctum fuit, nec imminutum, cuncta inflammationis signa evanuerant, palpebrae in statum sanum redierant, cornea pura ac pellucida, pupula per coredialysin genita amplificata fuit et serena, ita ut res circumiectae clare ac distincte cognoscerentur.

Quo summo nec satis aestimando visionis reconciliatae beneficio per XIII annos usa est, donec tandem anno 1827 partim marasmo senili, partim decubitu vitam finiret.

# Particula II.

(Quaestionum chirurg. Particula XX.)

---

Septem fere praeterlapsi sunt anni, cum ad memoriam Martinianam celebrandam invitans prolusionem academicam ederem hac inscriptione: „De prognosi in morbis chirurgicis cautissime sistenda," qua tirones medicosque iuniores, in quorum utilitatem imprimis eiusmodi libelli scribi solent, monerem, ne forsitan sive propter experientiae defectum, sive propter nimiam ac fere superstitiosam artis salutaris aestimationem, sive denique ob singularem placendi cupiditatem, cum aegroto tum adstantibus aegroti amicis vel in morbis gravissimis optima quaeque promitterent, omnemque exitii timorem prorsus fugandum esse affirmarent. Cuius meae sententiae stabiliendae causa historiam operationis cuiusdam ophthalmiatricae, quam maxime memorabilis, tunc exposui, ac simul promisi, me plures eiusmodi et morborum et operationum historias, tam ex mea, quam ex aliorum observatione petitas, cum lectoribus esse communicaturum. Quapropter hac scribendi occasione lubentissime utor, qua nomen promissione illa contractum tandem aliquando exsolvam, atque officio, quod ipse mihi imposui, eum in modum studeam satisfacere, ut praecipue earum aegritudinum, quarum eventus expectationi nequaquam respondebat, historias eligam referendas. Saepissime enim experientia edocemur, levissimas laesiones praeter nostram opinationem tantum secum ducere periculum, ut aegroti vel morti post paucos dies tradantur, vel per longissimum temporis spatium crudelissimis doloribus crucientur, quae indefesso optimorum medicorum studio, et electa medicamentorum supellectile ne leniri quidem, nedum removeri queunt. Alio tempore atrocissima vulnera, quorum sanatio vix speranda esse videtur, nihilominus sola vi naturae medicatrice, absque ullo auxilio medico, superatis adeo omnibus, quae miserrima vitae domesticae conditione haud raro obiiciuntur, difficultatibus atque impedimentis, ad exoptatissimum finem perducuntur, et in plenissimam sanitatem transeunt. In hisce meis continuandis

narrationibus talem servabo ordinem, ut incipiam ab iis aegritudinibus laesionibusque, vel casu fortuito, vel de industria corpori humano inflictis, quae, licet pessimum exitum minarentur, tamen prognosin feliciter frustratae et aegroto aeque ac chirurgo largam laetandi occasionem exhibuerunt. Deinde ad eas transeam, quas levitatis specie indutas, nec ullum corporis organon nobile occupantes, tamen in dies in peiora ruere, febremque destructoriam veterum gignere vidi, donec denique aegrotum e medio tollerent. Absit enim, ut dispudeat, medendi conatus nullo a me factos successu, meosque ipsius errores in cognoscendis et in curandis morbis commissos aperte confiteri, cum persuasum habeam, vel ex una tantum eiusmodi confessione ingenue proposita, et ex unius tentaminis eventu suo destituti notitia iuvenes medicos, vere sapere cupientes, multo plus utilitatis haurire posse, quam ex longo indice aegrotorum, partim naturae auxilio, partim artis medicae et chirurgicae ministerio optime restitutorum, quorum enumeratione medicorum diariorum editores doctrinam nostram quotidie locupletare student, haud raro diligenter reticentes eos, in quibus plus arte docta valuit malum.

Non dubito, quin narratio de vulnere sclopetario, quam nunc cum lectoribus aestumatissimis communicaturus sum, prae ceteris digna sit, quae principem locum earum historiarum obtineat. Illud enim ab initio statim ad atrocissima atque periculosissima pertinuit, deinde varias mutationes subiit, et animis nostris modo spe modo metu affectis, denique nihilo secius feliciter sanatum est.

Iuvenis pauperrimus, R.....t, opus manibus faciens, undeviginti annos natus, a sanissimis parentibus editus, longa, gracili corporis statura, constitutione lymphatica, temperamento phlegmatico praeditus, nec ullo morbo graviori unquam antea afflictus, die tertia Iulii anni MDCCCXXXV circa vesperam imprudentia hominis coeco avium feriendarum impetu ardentis magna copia globulorum plumbeorum minimorum ex tuba sclopetaria emissorum vulneratus, ac post brevissimum temporis spatium in nosocomium Divi Iacobi translatus est. Miserrimi iuvenis adspectus fuit tristissimus.

Facies, praesertim partes oculis finitimae, nec non utraque manus, praecipue sinistra, octoginta circiter vulnusculis sclopetariis laesae fuerunt. Tota facies rubuit, tumuitque enormem in modum, palpebrae tumore firmissime conniverunt, ut qualemcunque bulborum inspectionem plane impedirent. Anxietas, inquietudo, et infandi dolores vulneratum hominem atrociter cruciabant, et eiulatum horribilem provocabant; ex vulnusculorum ostiolis sanguinis guttulae stillabant. Terror animum conscientia sui ipsius, corpus vero omni calore animali privaverat, et miserandus iuvenis nec erectus stare, nec verba proferre valuit; arteriarum micatio prorsus abfuit. Duodecim granula plumbea, quae parum ultra integumenta communia penetraverant, illico incisionibus levissimis extrahi potuerunt. Aegrotus summos dolores in partibus vexatis gestibus accusavit. Lecto tradebatur, epithemata frigida faciei, cataplasmata vero manibus superimponebantur.

Cum hominem graviter afflictum vespera eiusdem diei reviseremus, omnia mutata deprehendimus, accesserat immodica totius organismi irritatio, cephalalgia, aurium tinnitus, arteriarum omnium, praesertim carotidum fortissima pulsatio, corporis iactatio, sitis insatiabilis; oculi quasi ex orbitis protrudi aegroto videbantur. Quorum phaenomenorum tumultu permoti sumus, ut sedecim hirudines temporibus, epithemata calida pedibus applicari iuberemus.

Tantum vero abfuit, ut in meliora verteretur iuvenis conditio, ut nocte proxima propter terribile commemoratorum symptomatum augmentum venae sectio unciarum octo esset instituenda; sanguis emissus post breve tempus crusta inflammatoria crassa atque tenaci obtectus apparuit.

*D. 4. Iul.* Faciei et manuum tumor increverat, quo digitorum contractio et porrectio prorsus prohibebatur, aegrotus inquietissimus partium affectarum dolores claris verbis exprimere nequivit, sed intolerabilem cephalaeam cum mallei ictibus, oculorum vero dolorem cum serra perpetuo huc et illuc mota comparavit. Ex interstitiis palpebrarum angustissimis humor effluxit, quem nonnulli ob tenuitatem et claritatem pro lacrymis, alii pro humore aqueo habere maluerunt. Palpebris panniculos linteos decocto foliorum ac

florum malvae et laudani liquidi Sydenhami pauxillo madefactos imposuimus.

*D.* 5. *Iul.* Ne minima quidem malorum observabatur levatio. Nocte praeterlapsa advenerat summa oculorum sensibilitas, et interna, uti dicere solemus, lucis generatio, ut fulgurum splendor aegroto semper ante oculos obversari videretur, quo ipsi ingens molestia parabatur, quorum phaenomenorum praesentia haud exiguam tunicae retinae irritationem adesse nobis probavit. Aegrotus alimenta recusaverat, ter vomuerat, alvum non deposuerat.

*Vespere:* Aegroti ceteri in eodem cubiculo valetudinario habitantes nostrum deliriis momentaneis perturbatum fuisse, ac singulas exclamationes sonosque querulos edidisse, nec non iterum vomuisse retulerunt, quapropter solutione nitri has organismi turbas compescere studuimus; fomentationes emollientes sedulo continuabantur.

*D.* 6. *Iul.* Cephalalgia ac delirium somnum abstulerat, iuvenis de dolore lancinante in regione frontali maximopere conquestus est, quilibet vel mitissimus palpebrarum tactus insignem provocavit cruciatum, vomendi ac desidendi conatus inanis quidem, sed saepius repetitus, maximeque molestus capitis dolorem auxerat; palpebrae diductionem haud patiebantur. Hirudines sedecim ad tempora, emplastrum vesicatorium ad nucham applicavimus, oculos solutione lapidis divini Vindobonensis cum laudano liquido Sydenhami mixta, atque aqua foeniculi diluta quater de die lavandos, alvumque electuario lenitivo aperiendam curavimus.

*D.* 7. *Iul.* Cum tandem aliquando aditus ad superficies oculorum contemplandas nobis pateret, non sine terrore in dextro corneae externas laminas in inferiore margine ruptas, cameram anteriorem humore rubicundo repletam, pupulam dilatatam, iridem decolorem maximeque angulosam conspeximus. Tunica bulbi coniunctiva, in plicam elevata, inter palpebras prominuit, et corneam vallo quasi circumdabat. In superiore scleroticae parte vulnusculum ad corneae marginem rotundum globuli plumbei introitum manifesto demonstrabat. Ne minima quidem luminis perceptio restabat. In sinistro cornea a ruberrimo coniunctivae tumore circumval-

lata, in superiore margine rupta, pupula dilatata, angulosa et opaca, in iridis inflammatae margine superiore levis quasi incisio animadvertendam se praebuit, camera oculi anterior evanuerat, humor aqueus effluxerat, iris corneae adiacuit. Visus non penitus abfuit, sed lux a tenebris discerni potuit. Utriusque bulbi superficies crudeliter inflammata turgore vitali omnique splendore privata, humore mucoso-seroso obtecta, internus palpebrarum paries emollitus ac spongiosus, granulisque carneis hemisphaericis, quemadmodum in ophthalmia aegyptiaca, obsitus fuit. Tumor cum faciei tum manuum minui incepit, ac dolor pungens in pulsantem transgressus suppurationem instare nobis adnuntiavit. Plurima vulnuscula sclopetaria, areola obscure rubente circumcincta, similitudinem cum variolis suppurantibus exhibuerunt. Medicamentorum usus continuabatur.

Quotidie fere corpuscula plumbea suppurationis auxilio passim eiiciebantur, quos naturae saluberrimos conatus cataplasmatibus faciei ac manibus superimpositis adiuvare studuimus.

*D.* 12. *Iul.* Cum de ingente dolore in regione frontali dextra et in oculo eiusdem lateris aegrotus conquereretur, neque suppuratio huius organi videretur evitari posse, emplastrum vesicatorium ad nucham ipsi iterum applicatum est.

Finem huius historiae lectoribus propediem tradam.

---

# Particula III.

(Quaestionum chirurg. Particula XXI.)

---

*Die* 16. *Iul.* Dolores iuvenem mirum in modum exercere perrexerunt, suppuratio in oculo dextro magis magisque increvit, totam ipsius superficiem materia purulenta obtexit, genasque inundans has partes acrimonia sua corrosit; corneae pelluciditas minuta fuit, in camerae anterioris fundo lunula alba, hypopyi triste signum, in pupula macula cana, cataractae incipientis indicium, apparuit. Bulbus sinister etsi minorem puris copiam excernebat, cornea tamen pelluciditatem

amissura videbatur; cui periculo impendenti ut occurreremus, fonticulum in brachio sinistro aperuimus, sacculosque discutientes palpebris imponendos ordinavimus.

*D*. 20. *Iul.* Constitutionis bonitas, iuventutis vigor, vitae incolumitas, animi tranquillitas, et quae extrinsecus accessere adiumenta, in coeli serenitate, habitationis securitate, commoditate rerum externarum posita, effecerunt, ut omnia, exceptis oculis, in dies in meliora verterentur. Oculorum vero conditio summum metum nobis iniecit, ne forte vel destructione totius organi, vel staphylomatosa corneae elevatione perfecta coecitas irrueret, quam tristissimam calamitatem licet, quantumcunque potuimus, methodo derivatoria avertere conaremur, enormis tamen suppuratio bulbi dextri nequaquam coërceri potuit. In sinistro bulbo inflammatio quidem decrevit, corneae vero et lentis opacitas lucis perceptionem minuit, ac impediit, quo minus de visu recuperando certa aliqua spes capi posset.

*D*. 26. *Iul.* Omnes omnino corporis functiones non male processerunt, in oculo autem dextro ne formam quidem, nedum cernendi facultatem servari posse, quilibet eiusmodi rerum gnarus spectator confessus est. Dolor quidem mitior fuit, materiae vero purulentae perpetuo effluentis abundantia, superficialis corneae exulceratio, pupulae inaequalitas atque opacitas, sublata lucis perceptio, incipiens bulbi collapsus, vix ullam spem aequo animo ferendi exitus reliquerunt. Sinistri bulbi adspectus minus tristis fuit. Palpebrarum tumor levior, inflammatio bulbi ipsius mitior, profusio puris parcior, dolor tolerabilior, cornea aliquantum clarior, iris mobilior, pupula purior comparuit, cameram oculi anteriorem ad partem certe restitutam deprehendimus. Fenestrae sibi oppositae splendorem aegrotus doloris cruciatu potius, quam visus sensu percepit. Curationis mutationem minime necessariam esse existimavimus.

*D*. 5. *Aug*. Quum per totum hoc temporis spatium globulorum sclopetariorum alii sponte egressi essent, alii ad superficiem tetendissent, ita ut levissima cutis incisione extrahi possent, hisce diebus aegrotus, id quod maxime memorabile videtur, valde conquestus est de dolore in apice

digiti medii manus dextrae, quo diligenter explorato, eiusmodi globulum sub ungue habitare cognovimus, qui post paucos dies viam sibi exteriora versus munivit, unguem absque suppuratione perforavit, atque sine unguis iactura feliciter exiit.

*D.* 19. *Aug.* Nostram divinationem de misero exitu laesionis in oculo dextro nos non fefellisse, experientia satis superque probavit. Etenim bulbus hic, sensim sensimque suppuratione destructus, in statum atrophicum transiit, ut duo tantum trientes totius bulbi restarent, una cum perfecto visus dispendio. In superiore scleroticae parte ad marginem semipellucidae corneae cicatrix ac foveola, vestigium manifestum globuli plumbei ingressi, superfuit. Sclerotica subcoeruleum exhibuit colorem; iris, cuius volumen diminutum erat, suprema parte disrupta, corneae adiacuit; pupulae multangulae griseus color et immobilitas cataractam cum uvea firmiter cohaerere significavit. Quo laetior spes de tolerabili oculi sinistri restitutione nobis per breve temporis spatium arriserat, eo gravius nobis dolendum fuit, nos in prognosi errasse, nostraque spe esse deiectos. Repente enim ac praeter omnem expectationem sive ex refrigerio, sive ex alia qualicunque causa, omnia in deteriora invenimus mutata. Inflammatio totius bulbi rediit, ac doloris augmentum ichorisque profluvium secum duxit; corneae opacitas impedivit, quo minus partes bulbi interiores accurate explorari possent. Lucis perceptionem evanuisse, vix est, quod moneamus.

Omnibus igitur, quae ad conservationem oculi commoda videbantur, remediis, praecipue derivantibus, incassum adhibitis, iuvenis ab initio summae tristitiae deditus, sensim sensimque miseriae adsuetus, repetitis vicibus a me petiit, ut sive operatione aliqua sive alio modo ipsi opem ferre tentarem, quibus vero precibus satisfieri non potuit. Quis enim, quaeso, tanta affectus esse potuisset audacia, ut bulbum crudeliter laesum et residua ophthalmia laborantem manu atque scalpello iterum adgressus in summum discrimen adduceret? Quapropter omnem, si qua unquam sperari posset, salutem a temporis ac patientiae medela expectandam esse putavimus.

In quo nos non male divinasse, ea, quae serius accide-

runt, luculenter demonstrarunt. Iuvenis noster enim postquam per plures menses hancce miserrimam vitam, tenebris prorsus obrutus, traxerat, temporisque consumendi causa quotidie per aliquot horas in propatulo nosocomii, manibus aedificiorum parietes arboresque palpans baculoque nixus, ambulasset, repente laetitia exultans mihi indixit, sinistrum oculum quadam lucis perceptione collustrari. In bulbi exploratione parum mutationis a spectatoribus animadverti potuit. Corneae quidem opacitas paululum decreverat, et ichorosum profluvium in serosum transierat, inflammatio vero non cesserat: id quod nos metuere iussit, ne aegroti narratio inanis esset, et sola eius cogitatione versaretur. Nihilo minus humanitati magis consentaneum esse duximus, hanc opinionem adolescenti iucundissimam benigne ferre, quid? quod sedulo conservare, quam praepostera nostrae dubitationis significatione denuo eius animum deprimere. Sed praeter opinionem tam laete progressa est cernendi facultas, ut post nonnullas septimanas absque baculi adiumento commeare, atque extrema corporum obiectorum lineamenta dignoscere, digitorumque ipsi oblatorum numerum recte indicare valeret. Nunc iuvenis, qui quasi revixisse sibi videbatur, omnes intendit nervos, ut hoc divino visionis recuperatae beneficio gratissima mente frueretur, idemque exercendo augere studeret: v. c. coeli, aurorae lunaeque intuitu satiari non potuit, chartarum lusoriarum imagines saepissime perlustravit, aliisque aegrotis eas demonstravit, in panniculis sericeis diversos colores detegere nobisque digitorum apicibus explicare, aves diversae magnitudinis, uti corvos, gallinas, e. s. p. numerare, earumque similitudines aeque ac diversitates exponere, deinde cum aliis communicare, aliorumque vel approbatione vel contradictione suum ipsius iudicium emendare cupiit. In distantia corporum remotorum diiudicanda saepenumero sese fefellit, v. g. in contemplandis aedificii oppositi fenestris incertum se esse confessus est, utrum in superiore an in inferiore contignatione essent positae.

Inter has quotidianas et assiduas visionis exercitationes oculus sinister admirabiles expertus est mutationes. Inflammatio pedetentim est extincta, profluvium cessit, corneae

opacitas perpetua palpebrarum frictione evanuit, imprimis autem pupula, antea cataracta penitus clausa, interiore margine lunulam nigram nobis ostendit, quae, nisi fallor, cernendi facultatem concessit; in iride levia contractionis molimina observavimus. Quae phaenomena docuerunt, cataractam crystallinam resorptionis auxilio in cataractam capsularem aridam siliquatam transiisse, mihique spem iniecerunt, fore, ut oculus, operatione quadam adiutus, sua functione feliciter sit functurus. Quae cum ita essent, officio, fide ac misericordia permotus precibus iuvenis locum reliqui, et keratonyxidem autumno anni praeteriti, expectata idonea ad operationem tempestate, sub prognosi dubia tamen institui. Acum subtilissimam planam in margine corneae externo et inferiore induxi, deinde per pupulam solutione extracti belladonnae dilatatam penetravi, et capsulam lentis a margine uveae interiore seiunxi, eamque huc illuc fluctuantem exteriora versus revolvi, et a reliquiarum resorptione consummationem exitumque felicem huius tentaminis ambigui ophthalmiatrici expectavi. Quamvis lubentissime totam capsulam a partibus vicinis separassem, eamque in camera oculi anteriore deposuissem, arctissima tamen ipsius adhaerentia effecit, ut hoc conatu desisterem, ne forsitan inflammationem vix superatam revocarem, quae certe in myosin incurabilem transitura fuisset. Encheiresi vix absoluta, adolescenti illico splendor diei molestus fuit, quapropter qualemcunque oculi irritationem evitare sedulo studens, omnia visionis experimenta intermisi, palpebras emplastro glutinante coniunxi, oculumque panniculo linteo leviter obtexi, victum parcissimum propinari, lucisque nitorem ab oculo retineri iussi. Modica inflammatio operationem secuta est, ac totum opificium exiguam tantum organismi reactionem excitavit, ita ut praeter methodum antiphlogisticam nihil necessario agendum videretur. Post multos eosque lentos visionis progressus, quos, ne lectoribus taedium parem, silentio iuvat praetermittere, iuvenis noster per plures septimanas in conclavi subobscuro versatus sensim sensimque claritati diei adsuevit. Interdum quidem ophthalmiae leves catarrhales ac rheumaticae coeli varietate natae, nec non catarrhi epidemici, uni-

versam Europam peragrantis, accessio operam aeque ac spem nostram frustrari minabantur, cura vero commoda vincebantur.

Tandem aliquando res eo deducta est, ut iuvenis sine ingente oculi intentione nunc libellum typis maioribus expressum legere valeat, et sperandum sit, eum in posterum ad varia negotia domestica suscipienda idoneum fore. Initio Ianuarii a. c. ad sublevandam visionem perspicillum adhibere tentavi, sed ne minimam quidem exinde percepi utilitatem. Cum oculum adspicis, vix credideris, hoc organon tantis calamitatibus fuisse afflictum, nam inflammatio plane abest, cornea pellucida, iris contractionis et expansionis capax est; pars pupulae inferior libera atque nigra conspicitur, in parte vero superiore capsula fluctuat, et modo accedit, modo recedit: hinc cernendi facultas varia est pro lucis modulo, diebus enim subobscuris clarius cernit adolescens, meliusque res obiectas discernit, quam in clarissima solis luce. Quapropter solis splendorem fugit, et in diluculo versari mavult, ut pupulae dilatationem, quantum fieri possit, promoveat.

Ita igitur factum est, ut et homini miserrime afflicto visus paulatim rediret, et quam toties experti sunt homines naturae efficaciam reddentis, quod una ex parte abstulerat, ex altera atque supplentis, ea exoptatissimo hoc eventu denuo comprobata videretur. Istud enim fulmen, ut ita dicam, si quem tetigisset liberaliter institutum, vegetaeque mentis impetu ad quaevis speranda proclivem, is, vereor, ne unius oculi iactura tristissimam sibi calamitatem illatam, omnium sese miserrimum esse, neque quidquam, nisi vitam parum vitalem, sibi restare clamitaturus fuisset, easque querelas post longi demum intervalli consuetudinem depositurus. At vero ille adolescens ingenii, si non hebetis, lenti tamen neque admodum exculti, valetudine, qua iam fruitur, satis habita, recuperatum alterius luminis vigorem solatium sibi patitur esse dolorum omnium malorumque, quibus incauti hominis nunquam prorsus excusanda temeritate affectus erat.

## Particula IV.

(Quaestionum chirurg. Particula XXIII.)

Quod hac commentationum serie probandum nobis sumpsimus, quanti momenti sit, prognosin morborum chirurgicorum caute institui, id sua natura tulit, ut demonstrandum esset, illam aegritudinum eventu haud raro vel in meliorem vel in peiorem partem ad nihilum redigi. Ea quidem provincia perfuncti sumus duabus scriptiunculis proxime editis, ubi morbum enarravimus, cuius exitus tristissimam, quam initium fecerat, exspectationem feliciter frustratus est. Iam vero si ullo licet pacto sperare, neque incassum illud a nobis actum, neque argumenti gravitatem non satis fuisse in luce positam, haud ineptum videtur, huius rei expositionem continuare, atque alterius cuiusdam ex istis casibus descriptionem addere, qui, licet infaustis auspiciis sive vitae conservandae sive sanitatis restaurandae gratia operationem necessariam reddiderint, ita tamen succedunt, ut ad laetam admirationem animum provocent.

Virgo, duodesexaginta annos nata, honesta quidem et intemerata, sed paupertatis pondere pressa, et caelibatus pertaesa, ideoque morosa et meticulosa, munditiei parum studiosa, a prima inde iuventute valetudinaria, ex tribus annis cataracta in utroque oculo laborans, mense Martio anni huius seculi decimi a me petiit consilium. Exploratio sedulo instituta me docuit, feminam, quae minoris staturae, tenerrimae constitutionis, macilenta et debilis fuit, atque senectutis incipientis vestigia, uti crinium canitiem dentiumque defectum, manifeste prae se tulit, gravi totius organismi languore laborare, quem pariter atque ipsum oculorum malum e vivendi genere repetendum esse putavi. Nam cum propter congenitam corporis debilitatem non nisi lana nenda ac deinde bacillorum ferreorum auxilio contexenda per longum temporis spatium victum sibi parare potuisset, necessitas continuo sedendi cum isto negotio coniuncta, diurna, quid? quod haud raro nocturna virium contentio, ac victus tenuitas haud dubie labem viscerum abdominalium, et pulvis

ex lana frequenter adscendens aegrotae insciae oculos paulatim in discrimen adduxerant. Quam meam sententiam id quoque confirmavit, quod de cephalalgia periodica, ciborum aversatione, alvi tarditate, somno interrupto, molesto ponderis sensu in abdomine, diro ventriculi post cibos assumtos ardore, de singultu ac vomendi conatu, denique de tota passionum hystericarum cohorte et doloribus rheumaticis vagantibus vehementer conquesta est. Ceteroquin adeo morosa fuit et difficilis, ut sibi minime constaret, sed modo qualemcunque operationem reiiceret, et a pharmaceuticis medicamentis solummodo solatium speraret, modo in scalpello et manu salutem omnem positam esse censeret, et encheiresin acerrime expectaret, hodie receptionem in nosocomio Lipsiensi civico avidissime cuperet, alio tempore has aedes caritate fundatas et hucusque conservatas contemneret. Oculorum conditio fuit inaequalis. In dextrae palpebrae superioris pariete interno levis inflammatio, in coniunctiva scleroticae pterygium pingue observabatur. Volumen bulbi a norma haud recessit. Iris pallide caerulea, parum mobilis, pupula iusto amplior, cernendi facultas fere prorsus deleta fuit, ita ut aegrota vix diem noctemque, nedum lucis gradus discernere valeret Capsulae lentis integritas, lentis ipsius vero maxima opacitas, annulique nigri praesentia cataractam crystallinam adesse satis superque demonstravit. Magnitudo lentis crystallinae, et camerae oculi anterioris angustia suspicionem cataractae mollioris consistentiae mihi iniecit. Quamquam omnis res obiectas cognoscendi et distinguendi facultas fuit extincta, ac fere completa coecitas locum habuit, nihilo minus summa lucis intolerantia observabatur, ac mitissimus quisque luminis accessus dolores et spasticas contractiones palpebrarum, et rotationes vehementes bulbi totius una cum chromatopsia excitavit. Quae quum ita essent, neminem rei gnarum esse existimo, quin mecum adversa quaevis expectaverit, et operationem parum spei, plurimum vero timoris afferre libere confessus sit. Etenim, ut taceam universam corporis imbecillitatem, ex iridis inertia et pallore, ex pupulae dilatatione, ex photophobia et colorum mutatione amaurosin ex defectu pigmenti cum cataracta coniunctam esse

collegi. Cum, quae in dextro bulbo notata sunt bonae prognoseos impedimenta, eadem in sinistro magis etiam occurrerent, non mirum est, me de hocce tractando multo magis, quam de dextro fuisse sollicitum. Postquam nonnulla praeprimis laudata medicamenta, ne quidquam neglexisse viderer, uti millepedes, naphtha mercurialis, et quae sunt reliqua, incassum essent adhibita, mutata voluntate, invitus quidem, sed precibus feminae perpetuis commotus, et adductus officio, fide et misericordia, extractionem lentis ex oculo dextro d. XIII. Oct. anni commemorati, sub prognosi ancipite, ne omnino deserta videretur aegrota, suscepi. Quo magis metueram inquietudinem aegrotae et mobilitatem bulbi, eo maiori laetitia me affecit imperterrita ipsius in perferenda operatione constantia, aeque ac inexpectata bulbi stabilitas. Quapropter, cum in hoc opificio ophthalmico singula momenta feliciter ac sine mora procederent, eorum descriptionem silentio praetereundam esse censeo. Finita encheiresi, et deligatione simplicissima applicata, femina lecto in cubiculo obscuro tradita, et ad quietem animi corporisque servandam admonita est, quod eo facilius fieri potuit, quum etiam id provisum esset, ne victus acquirendi cura premeretur. Iusculum simplicissimum et pro potu aquam fontanam proposui. Per totam diem sic satis bene se habuit, nec ullam incommoditatem, praeter illud consuetum humoris aquei effluvium, accusavit.

*Vesp. hora* 9 Levis in bulbo affecto titillatio haud iniucunda persentiscebatur, per totam noctem continuata.

*D.* 14. *Oct.* Nox insomnis fuerat atque tumultuosis somniis anxia. Hora quinta matutina titillatio in pruritum, deinde in dolorem pungentem palpebrarum, una cum largo lacrymarum profluvio transierat, accesserat sitis et cephalalgia, imprimis in regione frontali, et sternutatio bis repetita; quilibet sese erigendi conatus vomituritionem excitavit; femina moerore macerata gemitus saepe edidit. Palpebrae oculi dextri rubebant ac tumebant, maxime in tarsis, et inter se cohaerebant, ita ut in externo solummodo angulo lacrymae effluere possent; cuius velocissimae seditionis causae plane latuerunt. Iussi hirudines pone aures et sinapismos in cervice

applicari, aeque ac pediluvia adhiberi, unde et cephalalgiae et inflammatorii totius tumultus mitigationem sperabam.

*Vesp. hora* 9. Spes mea concepta ad partem tantum impleta est; etenim capitis dolor quidem aliquantum mitior fuit, inflammationem bulbi vero increvisse, symptomatum turba patefecit. Femina enim spectra, scintillas et fulmina vidit, ictus vehementes in medio oculo percepit, et bulbum uncis quasi lacerari affirmavit, ut de iritidis rapido passu intrantis praesentia dubitare non possem. Vomuit etiam aliquoties bilem aeruginosam, quam maxime inquieta huc et illuc corpus iactavit, ex lectulo effugere tentavit, miserrimam se esse credidit, qualescunque consolationes placidas et alloquia blandissima reiecit, ac parum abfuit ab impia desperationis significatione. In hacce tristissima conditione omniumque systematum perturbatione, licet ne de conservando bulbo quidem, nedum de recuperando visu cogitare tentarem, maximam adhibui operam, ut animum aegrotae, si fieri posset, erigerem, ac remediis tam internis, quam externis antiphlogisticis et derivantibus hoc phaenomenorum agmen vincerem. Ante omnia propter vomitum spontaneum, linguae squalorem, inflationem abdominis ingratam, halitusque foetorem ad abdominis viscera respicere, et ab acidulis eccoproticis optimum solatium quaerere commodissimum mihi videbatur.

*D.* 15. *Oct. mane* non sine laetitia femina mihi tradidit, se noctu alvum sexies deposuisse, et statim dulcissimum dolorum allevamentum, aliarumque molestiarum decrementum percepisse, cuius confessionis veritatem hilaris vultus aegrotae, totusque habitus testabatur. Vomitus biliosus animique commotiones cesserant, palpebrarum et rubor palluerat et tumor aliquantum subsederat. Interna lucis generatio vix ferenda evanuerat, signa gastrica disparuerant, verbo, totus organismus e molestissima concitatione ad tranquillitatem fere naturalem redierat. Ob hanc incredibilem quasi medicamenti commemorati efficacitatem per integram diem eandem medendi methodum prosecutus, et

*Vespere* de celerrimis aegrotae quasi reviviscentis progressibus maximopere gavisus sum.

*D.* 16. *Oct. mane.* Femina per aliquot horas quiete

dormiverat, et refectionis inde exortae sensum hilari et gratissimo animo est confessa. Doloris ceterarumque molestiarum nullum superfuit vestigium, omnesque corporis functiones iuste et libere processere. Duas modo res in votis habuit aegrota, ut lautior victus ipsi exhiberetur, et ut palpebrae aperirentur, et cernendi tentamina instituerentur. Quo indulgentior esse potui in concedenda priori petitionis parte, eo constantiorem in posteriori deneganda me praestare oportuit. Nam humorum ex palpebrarum rima profluvium exiguum quidem fuit, sed non plane exaruerat, id quod certiorem me reddidit, corneae vulnus non omnino esse coalitum, qua de causa postulatam oculi explorationem in posterum diem distuli, cuius auroram aegrota, de meo erga se bono animo persuasa, invita quidem, minime vero irata cum summo desiderio expectavit, meisque praescriptionibus obtemperavit.

*D.* 17. *Oct. mane.* Quiete dormiverat et in universum sic satis bene se habuit, accusavit autem levem oculi dolorem, quasi inter palpebras et bulbum corpus alienum adesset, comprimendo hoc organon afficiens. Palpebris cautissime diductis adspectus oculi prognosin meam mirifice eludit: metueram enim, ne forte ex iritidis et inquietudinis vehementia vomitusque frequentia bulbus summum cepisset detrimentum. Sed ecce! facies palpebrarum interna et oculi superficies leviter inflammata, cornea pellucida ac nitida, vulnus corneae clausum, iris integra, pupula contracta ac nigra, camera oculi anterior humore aqueo purissimo repleta reperiebatur. Femina res ipsi oblatas bene distinxit, v. g. in poculo vitreo pauxillum vini rubri continente altitudinem vini accurate perspexit, digitique apice significavit. In parte corneae inferiori sacculus pendebat semilunaris, humore aqueo tumidus, quem pro ceratocele statim habui, et forficis auxilio removere studui, quo facto larga humoris aquei copia effluxit, irisque propius ad corneam accessit, neque amplius quasi ponderis cuiusdam graviter prementis sensu aegrota vexata est. Oculo diligenter deligato, perfectam quietem commendavi.

Profluvii autem largitas tanta fuit, ut per duodecim dies palpebrae aperiri non possent. Inter quod temporis spatium

varias perpessa est aegrotationes, ita ut artis medicae tutela quotidie fere imploraretur. Modo enim gastricis malis a temperantiae neglectu, modo rheumaticis a domicilli iniucunditate, modo denique hystericis a mentis concitatione provocatis, miserum in modum est tentata. Imprimis vero praevaluit summa in nimiam bilis secretionem inclinatio, quae ab hominibus iracundis raro abesse solet, et frequenter testantibus cum vetustissimis tum recentissimis medicis [1]) summam vim in capitis et oculorum morbos exercet, eosque peiores reddit.

*D.* 20. *Oct.* Nocte tranquilla praegressa, absque ulla causa evidente angina, indolem biliosam prodens, feminam adorta est. Qui morbus initium cepit ab horrore atque frigore, quae calor, cephalalgia praeprimis frontem occupans, dolores faucium, inflammatio veli et uvulae, vertigo, sapor amarus, ructus fastidiosi, nausea, lingua mucosa, sordida, sitis, praecordiorum tensio, ac insignis debilitas exceperunt.

*Vespera* eiusdem diei redierunt oculorum dolores, largus lacrymarum effluxus, omniaque phaenomena, quae die XIV. Oct. in conspectum venerant. Quae cum ita essent, haud dubitavi, quin malorum repetitio medelae quoque repetitionem posceret. Nec mea me fefellerat opinio, etenim exhibitis quibusdam electuarii aciduli dosibus totus tumultus feliciter evanuit et femina melius se habuit.

*D.* 24. *Oct.* Hostis impetum renovavit, iisdemque armis fugabatur.

*D.* 27. *Oct.* Levis catarrhalis commotiuncula somnum abstulerat, et per biduum continuato sudore nocturno critico iudicabatur.

*D.* 29. *Oct.* Tandem aliquando, assiduis feminae querelis concedens, palpebrarum rimam aperui. Quo magis perfectam bulbi destructionem, a repetitis accessionibus febrilibus derivandam, metueram, eo laetius adfectus sum tam bulbi adspectu, quam visus restituti bonitate. Etenim inflammationis non nisi notae levissimae restiterunt, ceratoceles autem

---

1) Vid. Hippocr. Coac. III, 560. Galen. de loc. aff. I, 1. III, 7. Archig. et Aët. Tetrab. secund. serm. IV. P. Frank de larv. morb. bilios. Reil de polycholia.

vestigia prorsus evanuere, et incisionis semilunaris cicatricem exercitatus tantum observator detegere valuit. Femina laetitia fere exultans, measque admonitiones parum curans, experimenta cernendi praecurrens, oculos ubivis circumiecit, et adstantibus qualiacunque obiecta significavit, et vix potuit impediri, quominus in clarissima luce statim versari cuperet.

Inter hos perpetuos convalescentiae accessus recessusque femina tandem eo sensim sensimque pervenit, ut primum diluculo vespertino, umbraculo tecta, sub divo ambulare conaretur, deinde ad perferendos radios lucis fortiores adsuesceret, et denique ad labores consuetos rediret, iisque sine nimia intentione fungeretur.

Vere novo anni sequentis femina felici primae operationis exitu incitata, optimaeque spei plenissima, a me operationem in sinistro quoque oculo suscipiendam flagitavit, quibus precibus libenter satisfacere cupiens, ne rem inchoatam depositurus viderer, quinta Aprilis die cataractam extraxi. Uti in illa operatione tranquillitas et constantia aegrotae laborem meum adiuverat facilemque reddiderat, ita in hac insignis eius pavor bulbique mobilitas opificium longinquum et molestum fecit. Moleculae lentis restantes cochleare Davieli removebantur, cernendi experimenta, stimuli evitandi gratia, praetermittebantur. Ut vero saluti feminae continuo esset provisum, quidam medici iuniores custodiae vicissitudinem per primum quatriduum sponte et liberaliter susceperunt, quo temporis spatio nil observatum est, quod commemoratione esset dignum, exceptis quibusdam phaenomenis polycholiae levioris reditum testantibus. Cum quinta die oculum explorarem, plagam cornea clausam, tunicam scleroticam vix inflammatam, pupulam puram, cernendi facultatem pro re nata optimam, et aegrotam in laetitia effusam inveni.

Vix necesse videtur, ut multis verbis sanationis progressum explicem, sed adiecisse sufficiat, feminam sine gravi convalescentiae interpellatione ad exoptatissimum utriusque oculi usum post aliquot menses diligenti exercitatione pervenisse, eum in modum, ut in agendis negotiis consuetis ne perspicillo quidem egeret. Nec postea unquam perturbata est visio, sed illa per plures annos hoc dulcissimo

beneficio ad vitae usque finem gratissima mente fructa magis quam usa est.

Quis quaeso talem laetissimum operationum eventum in hac tanta prognoseos ambiguitate expectare potuisset? Etenim sive ad congenitam totius corporis imbecillitatem, tristemque oculorum conditionem, sive ad vitae praegressae miseriam, sive ad rerum adversarum multitudinem, sive ad impedimenta curationis ab aegritudinum praeprimis iritidis interventu exorta, et subsidiorum, quibus ista erant vincenda, exiguitatem, moramque convalescentiae respexeris, nonne quilibet pessima quaeque et perfectam visus iacturam praedicere potuisset? Certissime credo, fore neminem, quin hic quoque infinitam fere vim naturae medicatricem, quae interdum in morbis desperatis ex inopinato iucundissimum auxilium fert, nostrumque metum irritum reddit, laete agnoscat, et pio animo mecum veneretur.

---

## Particula V.

(Quaestionum chirurg. Particula XXIV.)

Posteaquam in quatuor a me editis prolusionibus medicis plures aegrotationes et operationes chirurgicae, quae maximam prognoseos ambiguitatem fausto exitu eluserunt, expositae sunt, officio publice scribendi hodie denuo mihi imposito eum in modum uti placet, ut in oppositam partem transgressus morbos nonnullos describam, qui ab initio sub optimis auspiciis decurrentes et laetissimam spem excitantes brevi post, facie celeriter mutata, omnium adstantium expectationem fefellerunt, et nos, aegrotis vel morte vel malo diuturno et insanabili affectis, artem nostram, aeque ac omnia humana, imperfectam mancamque esse docuerunt. Etenim certo persuasum habeo, per unum eiusmodi casum plus utilitatis afferri tironibus medicis, quam per decem alios feliciter finitos, atque hac in re ad experientiam tanquam optimam magistram provoco. Sicuti v. c. in re militari cladis acceptae historia multo magis ingenium imperatoris acuit, ipsumque

sapientiorem cautioremque reddit, quam victoriae partae expositio, ita in artis salutaris institutione unius operationis infelicis calamitas multo maioris momenti esse solet, quam encheireseos faustissimae splendor, quum discentium studia saepius ab inconsiderato errore revocanda, quam ad singularium exemplorum imitationem excitanda videantur. Ut vero per ordinem incedat nostra oratio, incipiamus a quodam capitis vulnere, cuius letalitatem ab initio vix sumus suspicati.

Vir quidam, R., illorum operariorum collegio adscriptus, qui in plaustris onerandis quaestum faciunt, quinquaginta annos natus, corpore robustissimo insignis, XXI. Aprilis die huius anni*) hora nona matutina singulari modo laesus, in nosocomium Divi Iacobi translatus curationique meae traditus est. Merces enim plaustro impositas catenae ope summa virium intentione magis constringere conatus, ut toti oneri maiorem conciliaret firmitatem, quodam catenae annulo ex inopinato rupto, corporisque aequilibrio superato, praeceps in stratum lapideum ex altissimo plaustro delapsus est. In exploratione aegroti statim instituta haecce praecique sunt inventa:

In sinistro verticis latere vulnus integumentorum communium adfuit ruptum, ex anteriori parte capitis ad posteriorem vergens, et longitudine tres pollices complectens, galeam vero aponeuroticam nusquam penetrans. Haud ita procul ab hac plaga in regione ossis temporalis sinistri sinus locum habuit impressioni similis, neque profundus, neque amplus. In occipite aliud vulnus in conspectum nobis venit, antea commemoratum longitudine aequans, altitudine vero superans, nam praeter integumenta communia galea quoque aponeurotica fuit perforata. Ex utroque vulnere pro ratione magnitudinis parva tantum sanguinis copia effluxit, nusquam vero vel fissura vel impressio calvariae aut conspici aut digiti apice detegi potuit. Auris sinistrae pars inferior sanguine maculata fuit et impleta, ita tamen, ut primo adspectu, utrum sanguis ex loco tantum externo excoriato, an ex meatu auditorio ipso proveniret, accurate distinguere non possemus.

---

*) MDCCCXXXVIII. E.

In thoracis parte anteriore tumor conspiciebatur, quem ex fractura ossis sterni ibi, ubi manubrium huius ossis corpori affixum est, originem duxisse statim certo cognovimus. Costae quartae sinistrae pars anterior ceteris fuit mobilior, quae vero mobilitas praternaturalis minime a fracta costa, sed potius a fracto sterno pendere videbatur. Reliquum corpus integrum fuit, si motum extremitatis dextrae superioris exceperis difficiliorem, absque ullo vel fracturae vel luxationis vestigio. Ceterum commemorandum est, virum sic sui compotem tum fuisse, ut ipse nos de omnibus, quae sibi accidissent, certiores reddere posset.

Quae cum ita essent, prima fuit quaestio, num trepanatio hic esset instituenda an omittenda. Quum vero neque fissura neque impressio calvariae, vel dilatatis illis vulneribus, inveniretur, neque vomitus accederet, neque aegrotus in delirium vel lipothymiam incideret, neque pupulae dilatatio, nec visus perturbatio observaretur, et summa symptomatum inconstantia sese nobis offerret, trepani applicationem in hoc aegroto esse vitandam censuimus, licet timor non abesset, ne per resonitum (contre-coup) cranii basis esset fracta, quae quidem suspicio nostra sanguinis ex aure sinistra profluvio confirmari videbatur, quod vero post breve temporis spatium cessit. Vulneribus capitis sternique tumori fomenta Schmuckeriana superimponebantur, et ut sternum in situm regularem, quantum fieri posset, restitueretur, pulvinaria nonnulla lintea dorso submittebantur. Pro usu interno primum pulveres ex Mercurio muriatico miti paratos, deinde propter respirationis anxietatem solutionem tartari stibiati exhibuimus. Pulsus quum esset plenus, frequens, magnus fortisque, venaesectio est instituta, qua pulsus quietior et paene normalis est redditus. Sanguis emissus crustam inflammatoriam non crassam exhibuit. Paucis horis praeterlapsis apparuit sensuum obnubilatio, quam secutus est sopor stertorosus. Ad vesperam gravis exacerbatio observata est, respiratio magis fuit anxia, loquela plane fere disparuit.

*D.* 22. *Apr.* Priori noctis parte inquiete transacta, aegrotus dein alto sopore oppressus iacuit. Horis matutinis ad meliora status se convertere videbatur. Aegrotus enim

expergefactus omnia accuratius, quam vespera antecedente, percepit, licet loquela prorsus abesset, nec ex eius loquendi conatibus aliquid posset concludi. Urinae tamen emittendae cupiditatem nobiscum signorum ope communicavit. Alvum nondum deposuerat. Prandium recusavit, et ab hoc ipso tempore exacerbatio omnium symptomatum increscens est animadversa.

*D.* 23. *Apr.* Uti superiori, ita hac quoque nocte aegrotus ingenti laboraverat inquietudine usque ad horam tertiam matutinam, qua in somnum profundum inciderat. Dies eadem, uti hesternus, symptomata nobis ante oculos posuit, v. c. sensuum obnubilationem, loquelae oppressionem, cunctorum symptomatum augmentum; in curatione nil est mutatum.

*D.* 24. *Apr.* Nox antecedentibus fuit simillima. Prima luce loquelae vestigia redierunt, una cum iusto vocabulorum nexu. Aegrotus de dolorum situ exploratus, cum verbis tum signis indicavit, se thorasis affectione multo acerbius, quam capitis vulneribus cruciari. Mane et meridie iusculi pauxillum consumsit, nec quidquam evomuit. Horas pomeridianas satis tolerabiliter transegit, ad vesperam symptomatum gravitas iterum adaucta est. Ne hodie quidem alvus erat soluta.

*D.* 25. *Apr.* Noctu aegrotus denuo insomnio et inquietudine erat turbatus. Mane uxorem ipsum visitantem bene agnovit, eamque alloqui conatus est. Verborum nexus confusus quidem, tamen ita comparatus fuit, ut quid iis significare vellet, facili negotio intelligeretur; quod colloquium secuta est debilitas, viriumque prostratio magna. Metum gravissimum nobis decubitus in regione sacrali exorti et celerrime increscentis phaenomena iniecerunt, cuius augmento solutione Extracti saturni in aqua rosarum occurrere studuimus. Ad alvum obstructam ducendam propinavimus mixturam ex Infuso rad. rhei, Infuso sennae composito et Syrupo mannae, cuius effectum per satis longum temporis spatium frustra expectavimus. Manus dextra, nondum mobilior facta, hodie subito intumuit, et propterea fasciis est circumdata. Horas pomeridianas satis quiete degit aegrotus animique sensus verbis aptis exprimere valuit, vespere vero symptomatum exacerbatio rediit.

*D.* 26. *Apr.* Post noctem mediocriter tranquillam conditio aegroti perparum fuit mutata, si exceperis, quod remediis adhibitis alvum ducere contigerat, quam partim voluntate perspicue indicata, partim praeter voluntatem deposuerat. Quo facto sensuum functiones melius procedere videbantur. Vespere consueta rediit exacerbatio.

*D.* 27. *Apr.* Aegroti status mirifice mutatus exiguam spem in nobis excitavit. Nocte enim praeterita melius quieverat, unde totus ipsius habitus vividior, vultus hilarior, sensuum obnubilatio lenior fuit; loquelam quoque ad statum pristinum fere rediisse, non sine laetitia percepimus, et lingua, prioribus diebus graviter protracta, hodie faciliter potuit promoveri. Doloribus pectoris magis se angi quam capitis, hodie quoque nobiscum communicavit, de decubitu vero haud conquestus est. Phimosis et oedema glandis accesserat, quorum phaenomenorum causam in declivitate membri virilis diu protracta requisivimus. Sitis et ciborum appetitus adfuit vehemens; exacerbatio vespertina ad consuetam vehementiam non accrevit.

*D.* 28. *Apr.* Nocte quiete transacta, aegroti conditio hodie ita emendata videbatur, ut in blandiorem eius conservandi spem animi nostri raperentur. Etiam postridie symptomatum turba eodem modo erat minuta; vespera vero exacerbationem graviorem secum duxit.

*D.* 30. *Apr.* Aegrotus insomnis et inquietus per noctem iacuerat, et quum hora quinta matutina exploraretur, omnia et singula in deteriora ruere statim ex ipsius adspectu collegimus, imprimis faciei collapsus timorem nobis iniecit. Oculi enim in orbitam reciderant, pupula dilatata, nasus acutus atque albo colore erat tinctus. Sensibilitas valde depresssa, conscientia sui ipsius debilitata, loquendi facultas fuit imperfecta. Ex capitis vulneribus, praecipue ex anteriori, magna ichoris foetidi atque telae cellulosae degeneratae copia exiit. Dolore capitis aegrotum magnopere vexari ex eo concludere potuimus, quod saepius manum capiti admovit. Neque sitim neque famem significavit, et apathiae summae signa ex toto habitu atque situ apparuerunt, quae ne exacerbationis quidem vespertinae tempore disparuerunt.

*D.* 1. *Maii.* Status aegroti non mutatus, et ichoris ex capitis vulnere effluxus largissimus timorem nostrum magnopere auxerunt.

*D.* 2. *Maii.* Emendatio conditionis adfuit nulla, immo omnia in aegroti perniciem rapide abierunt. Collapsus faciei magis magisque auctus est, color et turgor naturalis ex facie evanuerat, oculorum opacitas, labiorum pallor spem qualemcunque nobis eripuerunt. Sensus obnubilatio, loquela prorsus impedita, ichoris perpetuo profluentis foetor diem supremum instare praedixerunt. Vespere mutatio nulla locum habuit.

*D.* 3. *Maii.* Aegrotus semimortuo similior, quam vivo vitam miserrimam traxit, ita ut mors non metuenda, sed potius, tanquam dulcissima omnium malorum terrestrium liberatio, optanda et speranda videretur. Circa meridiem in agonem brevem incidit, et hora secunda pomeridiana animam placide efflavit.

Sectio cadaveris ab Excell. Hasse benevole instituta haec nobis obtulit:

Integumenta capitis communia, a verticis regione usque ad occiput, praecipue in sinistro cranii latere, ab ossibus disiuncta, tumorem pure viridi ac foetido impletum formarunt, quod ex integumentorum vulneribus perpetuo largiter effluxit. In nonnullis cutis detractae locis granulatio incipiens, et circa tumoris illius ambitum ecchymoses maiores minoresve conspiciebantur. In angulo, a sutura frontali atque sagittali formato, lateris sinistri ossium particula triangularis per suturam frontalem non finita, sed in duas partes adhuc firme et naturali modo cohaerentes divisa, ita impressa fuit, ut ab interna calvariae lamina trianguli externum modo latus margine spinoso atque inaequali abruptum esset. Ex latere huius trianguli impressi anteriori fissura originem duxit, quae primum versus anteriora tendens os frontis, tum recurrens os parietale dextrum, in quo finita est, perfregit, ita ut linea hemielliptica impressionem circumdaret, spatio pollicis inter fissuram et impressionem interposito. Ceterum haec fissura laminam tantum ossium externam perfoderat. Deinde fissura ex impressionis loco orta deprehensa est, quae versus latus sinistrum totum os

parietale dividens usque ad coniunctionem ossis temporum cursum tenuit. In hoc coniunctionis loco ossiculum trium linearum quadratarum ex margine temporali ossis parietalis introrsum depressum fuit. Quo ex loco nova fissura progressa est, quae partes internas diffindens ad marginem et superficiem ossis petrosi anteriorem in duas abiit, quarum altera in maiori ossis sphenoidei ala, altera in canali carotico finita est. Ita fissuris impressionibusque tota cranii pars sinistra ex vertice usque ad basin discissa fuit. In fissurarum regione sub dura matre ecchymoses detectae sunt. Inter duram meningem et ossa cranii coagulum cruentum atro colore et consistentia satis firma inventum est, quod durae matri arcte adhaerens, totumque inter arteriam meningeam mediam, sinum longitudinalem et transversum spatium occupans, in uno loco diametrum duorum paene pollicum exhibuit. Inter duram meningem et arachnoideam exsudati serosi colluvies fuit, cochleari modico tantum recipienda. Vena cerebralis, quae sanguinem in sinum transversalem mittit, coagulo cruento compressa, sanguinis copia satis magna repleta fuit. Cerebri medius et posterior lobus magnopere compressus et reliqua massa paullo mollior apparuit, quae satis firma mediocrem sanguinis copiam continuit. Cerebelli pars sinistra aliquantulum compressa et solito mollior inventa est. Ceterum structura cerebri omnino normalis fuit.

In thorace spatium inter sternum et cutim et inter musculi pectoralis maioris et minoris fibras positum ecchymosibus repletum fuit. Manubrium sterni cum corpore per ligamenta tantum coniunctum angulum formavit, cuius apex ad exteriora tendebat. Costae et pleura a norma non aberrarunt, cartilagines costarum partim ossium structuram assumserant. In mediastino antico coagula adiposa sanguine spongiarum instar repleta invenimus. Pulmo collapsus et ad marginem anteriorem emphysematosus fuit. Ex pleurae saccis humoris rubescentis circiter unciae tres effluxerunt. Cor sanguine privatum, laxum, ventriculo utroque dilatato, sinistro hypertrophico fuit.

In abdomine hepar pallidum, neque solito mollius neque magis sanguine confertum, vesiculam felleam satis magnam

et felle plenam reperimus. Cetera organa praeternaturalis aliquid non obtulerunt.

---

# Particula VI.

(Quaestionum chirurg. Particula XXV.)

Caementarius quidam triginta annorum, corpore bene conformato praeditus, nec ullo antea morbo affectus, die XI. Sept. h. a.*) ex contignatione secunda aedificii recens exstructi eum in modum supinus decidit, ut dorsum ipsius una cum brachio dextro terrae, ruderibus et novis et veteribus obtectae, fortissime allideretur. Quo facto confestim in nosocomium nostrum delatus, meaeque curae traditus est. Exploratio sedulo instituta haecce nos docuit: Terrore quidem perculsus, sed plane sui compos fuit, ita ut, quid sibi accidisset, ipse nobis satis perspicue exponere posset. In universo corpore duae tantum laesiones nobis occurrerunt: I. contusio in osse ilei dextro, quae paene nullius momenti videbatur; II. violatio brachii dextri longe gravior. Ossis enim humeri dextri pars inferior haud procul a condylis ter fracta erat. Testa huius ossis fracti, ex loco suo dimota, e vulnere in exteriori latere articulationis cubitalis prominuit, et facillimo negotio e dilatata plaga removeri potuit. Partes molles ipsi vicinae fuerunt laceratae, et in interstitiis musculorum et ligamentorum fragmenta ossis conquassati minutissima, arenae similia, per digitum explorantem animadvertebantur, quae quominus illo tentaremus separare, firma fibrarum muscularium adhaesitatio, et haemorrhagiae difficillime forsitan coërcendae metus nos prohibuit. Antibrachium fuit integrum, sanguinis profluvium modicum ac venosum; dolorem tolerabilem, digitorum motum haud impeditum, sensum naturalem, calorem vitalem parum imminutum, sanguinis circulum a norma non recedentem, respirationem levem deprehendimus. Quae cum ita essent, bona prognosis constituenda,

---

*) MDCCCXXXVIII. E.

timor tamen anchyloseos insanabilis in articulatione vexata remansurae minime dissimulandus videbatur. Cum quaelibet contrectatio, imprimis brachii extensio tentata, aegroto vehementem excitaret dolorem, toti huic extremitati fascias, omissis tamen, ne compressione molestiam pararemus, ferulis, circumiecimus, pulvinari adaptato, ut in situ iusto sustentaremus, eam imposuimus, fomentationes frigidas adhibuimus, emulsionem papaverinam praescripsimus, summamque cum corporis tum mentis tranquillitatem commendavimus.

*D.* 12. *Sept.* Aegrotus per noctem quiete transactam parum doloris passus erat. Suprema humeri pars tumuit doluitque, aeque ac manus dextra, nihilominus neque sensus neque motus digitorum mutatus erat, haemorrhagia secundaria non adfuerat. Cum systema vasculosum vehementer esset irritatum, venaesectio in brachio sinistro instituta est; ceterae functiones corporis rite processerunt.

*D.* 13. *Sept.* Post somnum brevem quidem sed placidum febris remiserat, in regione musculi deltoidei oedema insigne et dolorificum apparuerat, cuius levandi causa species discutientes imponi curavimus, qui doloris diminutionem et nocturnam quietem non spernendam conciliaverant, ut aegrotus

*D.* 14. *Sept.* sua conditione contentus, oedema minutum ac mollitum inveniretur. Vulneris suppuratio inceperat. Caloris naturalis gradus, arteriarum micatus, cita inspirationum et exspirationum vicissitudo, ciborum recusatio, sitis vehementia, urinae rubor flammeus, alvi obstructio, febris traumaticae et inflammationis vigorem manifestarunt.

*D.* 15. *Sept.* Aegrotus, qui noctem insomnem sed quietam transegerat, de perpetua somnolentia conquestus est; oedematis ambitus imminutus, febris impetus auctus est. Quae enim nudius tertius vesperi apparuerant ingrata phaenomena, ea omnia ad altiorem gradum vehementiora evaserant.

*Vesp.* Cuncta tristem in modum cito transformata sunt, et irritationis praevalentis signa debilitatis repente ingressae testibus locum fecerunt, et prognosin eludere inceperunt. Inflammatio brachii vehementior, suppuratio largior reddita est. Praescriptum est Infusum Flor. Arnicae una cum grano Moschi tertia quavis hora repetendum.

*D.* 16. *Sept.* Tantum abfuit, ut aegrotus hodie refectus videretur, ut omnia ac singula in ipsius perniciem ruerent. In universum de totius corporis infirmitate ac de spirandi difficultate, quam ab incommoditate situs deducere voluit, conquestus est. Noctu in media thoracis parte dextra in regione costae circiter octavae tumor flavo-caeruleus, pollicis magnitudinem aequans valdeque ab initio per aliquot horas dolens, ex inopinato et absque causa manifesta exortus est. Inflammationis comites, uti calor, dolor, tumor, alii, in parte vexata decreverunt, quod quoque valet de siti. Arteriarum pulsus prorsus immutatus et debilitatis progressus inflammationis in gangraenam transitum instare luculenter est testatus. Cui ut occurreremus, Infus. Valer. et Liq. Minder. una cum Moscho alternis vicibus proposuimus, suris sinapismos acerrimos, plantis pedum cataplasmata calida applicavimus.

*Vesp.* Incredibilis inquietudo et corporis iactatio accessit, deliria modo suavia, modo ferocia aegrotum vexarunt; prognoseos ambiguitas increvit.

*D.* 17. *Sept.* Noctem insomnem et terribilem fuisse custodes nosocomiales nobiscum communicavere, omnia antea commemorata symptomata mala invaluere. Tumor in latere dextro heri conspicuus non solum abdomen, sed etiam dimidiam femoris partem superiorem occupaverat, ac formam erysipelatis induerat, cuius contrectatio dolorem procreabat. Praeterea virium languor, sensuum hebetudo, somnolentia, stupor, anxietas, tremor artuum, sudor viscidus, arteriarum inanitas ex pulsus suppressione cognoscenda, plumbeum brachii pondus, saniei foetidae malique coloris ex vulnere copiosum effluvium, febrem nervosam stupidam de improviso intervenisse, et rem conclamatam esse nobis indicarunt.

*Hor.* 4. *Vesp.* Symptomata infausta perstitere, immo accrevere. In tumore quatuor pollices infra spinam anteriorem superiorem nigra macula gangraenosa floreni magnitudine accesserat, cuius amplificatio tam rapidos fecit progressus, ut post quinque horas quadruplicem ambitum esset adepta. Circa mediam noctem completus stupor aegrotum oppressit, visus et loquela plane disparuit, summa virium defectio ingressa est, frequentia ac debilitas pulsus eum in

modum accrevit, ut singuli eius ictus ne distingui quidem nedum numerari possent. Quis quaeso ex hisce signis mortis appropinquationem non certo divinare potuisset?

*D.* 18. *Sept.* Licet omnia, vel fortissima medicamenta refocillantia externa in usum essent vocata (internis enim propter sensuum obnubilationem ac deglutiendi impotentiam nullus aditus patuit), nil tamen vitam fugientem retinere potuit, sed miserrimus aegrotus hora sexta matutina animam efflavit.

Cadaveris sectio eiusdem diei hora quarta pomeridiana ab Excell. et Exper. Hasse benevole suscepta et mecum communicata est. Cadaver incredibilem foetorem putridum sparsit, et non modo in brachio dextro, praeprimis in articulatione cubitali, sed etiam in humero, in fossa axillari, in dextro thoracis et abdominis latere usque infra trochanterem maiorem, ubi gangraenae signa sese manifestaverant, maculis diffusis atro-caeruleis obsitum conspiciebatur. Humeri condyli ab huius ossis corpore disrupti et inter se invicem quoque diffracti fuere. Praeterea fragmentorum osseorum copia, quae removeri non potuerant, in musculis et inter lacinias ligamenti capsularis lacerati latuit. Partes molles vicinae iusto molliores madorem mali coloris continuerunt, et odorem fastidiosum exhalarunt. Canales fistulosi exinde exierunt, et partim in musculorum interstitia, partim in musculos ipsos, semper vero venarum directionem introrsum et deorsum sequentes, irrepserunt. In arteriae et venae brachialis nervique radialis et cubitalis vaginis cellulosis, sicut in tela cellulosa has partes coniungente, varias degenerationes invenimus. Illae (vaginae cellulosae) in substantiam lardaceam mutatae, vasis nervisque nominatis firmiter adhaesere; haec (tela cellulosa) ichore viridi nigricante effuso dilatata et in tumorem mali coloris transformata sese obtulit. Quae metamorphosis usque ad inferiorem marginem tendinis musculi pectoralis maioris se extendit, unde degeneratio telae cellulosae maxime nervum radialem sequebatur, et ecchymosi similior plexum brachialem usque ad foramina intervertebralia comitabatur. Substantia nervi radialis gravissime affecti a regula haud aberravit, vaginae vero nervorum partim inflammatorie partim ecchymotice rubere et con-

densatae esse videbantur. Tela cellulosa nervos cum partibus proximis coniungens tantopere erat exulcerata, ut singuli rami nervorum absque scalpelli ope elevari possent. Vena axillaris, subclavia et cava superior fuerunt integrae, vena brachialis ipsa non inflammata fuit, plures autem eiusdem rami musculares pure repleti, et ramus quidam collateralis coagulo sanguinis obstructus conspiciebatur. Glandulae lymphaticae in fossa axillari et supraclaviculari sitae tumuerunt, partibusque vicinis tela cellulosa, sive massam lardaceam sive serum continens, firmiter adhaeserunt. Substantia glandularum pallida et flava iustoque mollior hic sero, illic pure infiltrata reperiebatur. Tela cellulosa subcutanea totius lateris dextri sive serum sive pus continuit, in quibusdam locis in ichorem putridum erat transgressa. Glandulae lymphaticae in fossa semiovali inter externam et internam laminam fasciae latae eodem modo mutatae erant, uti glandulae in fossa axillari. Vena et arteria cruralis sanitate optima usae sunt. In marginibus mutatae telae cellulosae multae ecchymoses occurrerunt. Organa thoracis et abdominis nil vitiosi ostenderunt. Temporis ad sectionem concessi brevitas impedivit, quominus cerebrum ac medulla spinalis explorari possent.

## Particula VII.

(Quaestionum chirurg. Particula XXVI.)

> Multa fiunt, quorum perobscurus, quo fiunt, modus et ratio est, — meae partes sunt ea, quae ipse, et quicunque aderant, oculis, manibusque percepimus, — summa fide proponere; tuae autem animadvertere, non uno modo ab natura usum membrorum amissum reparari c. s. p.
>
> Morgagni de sed. et caus. m. p. a. indag. L. IV. epist. LVI. 15.

Ex quo arti salutari operam dedi, semper mihi curae cordique fuit, observare cum in medicis tum in chirurgicis morbis, quid illa insignis nec nunquam satis veneranda vis

medicatrix naturae, a summis medicinae praesidiis atque ornamentis inter antiquos, uti Hippocrate, Celso, Paracelso, Helmontio, Stahlio, recentioribusque v. g. Greinero, Iahnio, Traversio, Ionesio, Ebelio, aliis, ad coelum usque elata, valeat, quid ferre recuset. Quod quidem studium, magnis sane difficultatibus pressum, praxi nosocomiali magnopere promoveri, gratissimus agnosco. Etenim certissime persuasum habeo, in nosocomiis optimam occasionem praeberi reconditas organismi actiones investigandi et aestimandi. Si quaerat quispiam, cur tantopere anteponenda sit artis nostrae exercitatio nosocomialis praxi civicae, in promtu erit responsio idonea. Nam in eiusmodi aedificiis publicis a caritate institutis, ac saepe ab ipsa nomen gerentibus, permulta invenies, quae frustra alibi quaesieris. Primum homines cuiusque sexus et aetatis ab infante recens nato usque ad senem decrepitum hic habes; deinde opulenti aeque ac pauperrimi, urbani et agrestes, delicatuli uti rudes, prudentes ac hebetes, callidi et stupidi, pariter atque cuiusvis conditionis, v. c. religiosi, honesti, bene morati, qui vitam sobriam probamque degerunt, nec non lascivi, perditi, scelerati, nulli legi obtemperantes, obedientes et repugnantes, quamlibet praescriptionem spernentes, hilares et tristes, petulantes ac serii, pacifici et litigiosi, mites et intolerabiles se nobis offerunt. Experientia vero me docuit, in tanta diversitate aegrotorum morbos quoque vario modo decurrere, et a consueta regula aberrare, eatenus, ut interdum levissimae aegritudines in malam partem abirent, saepius autem aliae verisimilem interitum minantes naturae benignitate mutarentur, et bono exitu cum aegroto tum medico eximiam laetitiam pararent. Quae de morbis commemoravi, eadem quoque de operationibus chirurgicis valere mihi videntur, quarum plures sub ambigua prognosi institui, quae vero imprimis adiuvante natura feliciter perfectae sanitatem amissam misero reddebant. Idcirco equidem non omitto iuniores medicos, qui demonstrationes chirurgicas, ad lectulos aegrotorum haberi solitas, frequentant, adhortari, ut hos organismi humani se ipsum quasi defendentis atque in libertatem vindicantis conatus admirabiles in quolibet aegroto diligenter prosequantur ac

pie colant. Vix ullus mihi aptior videtur ad insignem hancce vim demonstrandam, quam ille, cuius hic sisto historiam. Quis quaeso sperare potuisset, fore, ut homo, qui corpore debilitato tantaque laesione triplici laboraret, haud exiguam ossium iacturam passus, et tam incredibili dolorum vehementia afflictus, malis insuper cum corporis inquietudine tum morum perversitate haud mediocriter auctis, nihilominus feliciter evadat? quid, quod longitudo extremitatis miserrime affectae tam parum detrimenti capiat, ut ambulandi facultatem etsi nondum prorsus expeditam recuperet? Quod vere factum esse, multorum, qui admirabundi conspexerunt, testimonio probari potest. Sed missis ambagibus ad historiae expositionem nunc transeo.

Vespere diei tricesimae Iulii anni praeteriti *) St... quidam, viae ferratae apparitor, terribili modo laesus in nosocomium Divi Iacobi est transmissus, quam calamitatem negligentia quadam officii sui sibi contraxerat. Fuit enim ei unius ex iis locis, ubi publico itinere proficiscentibus via ferrata transeunda est, cura demandata, idque etiam negotii datum, ut repagula, quibus transeuntes prohibentur, quominus tramitem sibi concessum excedant, machinae vaporibus vectae appropinquatione intellecta removeret. Sed ille nescio qua negligentia (ebrius an fuerit, certo indagari non potuit), — advolantis vehiculi signum aut non exaudivit, aut temere neglexit, ita ut vel summa velocitate nonnisi unum repagulum removere posset. Ad alterum cum prosiliret, hoc currus impetu disruptum eiusque grande fragmentum tam vehementer in St... coniectum est, ut humum prostrato utrumque crus frangeretur, dextrum fracturam adeo comminutam pateretur. Cum propter rei domesticae tenuitatem vulnerumque gravitatem miserrimi hominis curatio valde difficilis, sanatio vero maxime ambigua existimaretur, chirurgus in auxilium vocatus vincturam solummodo extemporaneam applicuit, virum vero ad nosocomium Iacobinum transferri nostraeque curae commendari iussit. In exploratione accuratissime instituta haecce nobis sese obiecerunt:

*) MDCCCXXXVIII. E.

I. In dextro occipitis latere vulnus triangulare integumentorum communium non multum sanguinis excernens, cuius panniculi sutura cruenta et emplastris glutinantibus facile uniebantur, et quod promtiorem curationem promisit.

II. In triente cruris sinistri supremo fractura transversa tibiam fibulamque comprehendens, sed non complicata, in cuius vicinitate superiori cicatrix adfuit, vestigium exhibens fracturae, qua homo aetatem adhuc puerilem agens affectus, quae tamen feliciter sanata fuerat.

III. Quo meliorem spem restitutionis pedis sinistri perceepramus, eo maiorem nobis timorem pedis dextri affectio iniecit. Ossa cruris enim tam crudelem in modum erant distracta, ut duae tibiae particulae remota deligatione extemporanea ex plaga ampla libere prominerent, quae facillime absque sanguinis profluvio extrahi possent. Maior pondere habuit 121 gr., minor vero 95 gr. Licet tota extremitas propter ossium fracturam molliumque partium lacerationem miserrime esset deformata, integritas tamen articulorum, nervorum vasorumque maiorum, nec non aetas aegri ab amputatione cruris dextri certaque desperatione nos retinuit, ac in medicina praestolante aeque atque in immensa vi naturae medicatrice salutem quaerere iussit.

Quibus exploratis crus sinistrum fractum simpliciter iusteque ligavimus, fragmenta ossium in suas sedes compulimus, membri formam extensionibus sibi oppositis restituimus, et pannis iniectis et accommodatis ferulis ac fasciis situque bene ordinato conservare studuimus.

Longe dificilior atque molestior fuit cruris dextri vinctura. Remotis enim commemoratis fragmentis, alterum os super alterum erat elatum, ita ut vel optima extensio neque figuram naturalem, neque firmitatem tolerabilem pedi conciliare valeret, qua de causa imprimis sanguinis profluvium lintei carpti et agarici vulneri iniecti ope et quietis necessariae commendatione compescere tentavimus. Quam crudelissimam calamitatem mechanicam perpessus erat St. . . noster, eadem non solitaria fuit, neque simplex, sed cum dynamica quadam iuncta atque connexa, quippe cum nonnulli laborarii, misericordia permoti, viro violato ad sopiendos dolores

largum spiritus vini haustum exhibuissent, cuius effectus post breve tempus sese manifestavit partim horrore, partim vomitu fastidioso. Aegrotus accepit aliquot Mercurii dulcis doses nec non emulsionem papaverinam.

*D.* 31. *Iul.* Quamvis dolores pedum haud graves aegrotum exercerent, et prior noctis pars tranquilla esset, tamen posterior maxime inquieta fuit, quam pessima quoque dies sequuta est; status gastricus multum molestiae paravit; symptomata vero, quae nervosa appellantur et magnopere metuenda sunt, uti motus spastici et similia, desiderabantur.

*D.* 3. *Aug.* Per biduum integrum aegrotus maxime inquietus, audax et intolerabilis fuerat, et insignem dolorem in fractura complicata accusaverat, perpetuo et cum omnibus rixatus erat; accesserat febris traumatica, accreverant symptomata gastrica. Detectum vulnus terribilem adspectum praebuit, ossium fragmenta inter sese adscendendo descendendoque erant perturbata, et frictione partium mollium haemorrhagiam levem excitaverant; puris secretio avide exoptata nondum adfuit. In vinctura aegrotus tam rudem et ineptum se gessit, ut modo puerum petulantem, modo gladiatorem ferocem imitaturus videretur. Qualibet extensione incassum adhibita, prior deligatio repetita est. Pes sinister oedemate inflatus locum excoriatum et cruore effuso obtectum significavit. Ex marginibus plagae capitis fere sanatae fila extrahebantur.

*D.* 7. *Aug.* Nec preces nec adhortationes aegroti mores consuetos corrigere potuerunt, sed vociferationibus et execrationibus miserrimis malorum summam dolorisque crudelitatem auxit. Valetudo universa pro re nata haud mala fuit. Vulnus in crure dextro nil novi nobis exhibuit, suppurationis ne minimum quidem vestigium adfuit.

*D.* 10. *Aug.* In fundo vulneris levia suppurationis primordia apparuere, in parte superiori nulla conspiciebatur mutatio, capitis laesio cicatrice obducta.

*D.* 14. *Aug.* Hodierna deligatio haud levem incommoditatem paravit, quoniam in utroque pede incredibilis larvarum muscae domesticae copia deprehendebatur. In area

suprema tibiae sinistrae abscessus aderat, in musculos profunde descendens, multumque ichoris excernens.

*D.* 17. *Aug.* Nec summa munditiei cura, nec diligens ac frequens acidi pyrolignosi applicatio animalculorum generationem compescere potuit. Dextri cruris plaga impura fuit ac perparum puris edidit. Cum fragmenta ossium valde essent aspera, alterumque super alterum mutuo emineret, nec in extensione confusionis praesidium esse crederetur, serrae Heyanae ope in superiori aeque ac in inferiori fragmento inter gemitus et ululatus aegroti particulae desecabantur, quam encheiresin vix ulla secuta est sanguinis iactura. Fragmentis osseis linteum carptum interponebatur, et consuetae deligationi expulsivae ferula brevis in tibia ipsa partim ad firmitatem cruris conservandam, partim ad haemorrhagiam avertendam addebatur. Praeterea aegrotus de spasmis colicis, a refrigerio exortis, et de diarrhoea conquestus est, quibus emulsionem oleosam cum tinctura opii et cataplasmata calida ad abdomen opposuimus.

*D.* 21. *Aug.* Repetita ossium perturbatio et asperitas iteratam serrulae opem flagitavit, qua factum est, ut facilius cognoscere possemus puris collectionem in fundo vulneris latentem quidem, sed non largam, si ambitum areae contuleris, quae haud malum praebuit adspectum. Crus sinistrum mitiori pure abundavit, cui exitus ut pararetur, in interiori latere suram incidimus, quam incisuram per longius temporis spatium apertam conservabamus. Spasmorum colicorum atrocitatem mitigatam, diarrhoeae frequentiam minutam invenimus. Non sine admiratione somnum quietum, ciborum appetitum non turbatum, corporis vires haud exhaustas esse, laeti ex aegroti relatione percepimus. Nec non ipsius mores aliquantum placidiores fuisse famuli sunt testati. Ut positum pedis idoneum allevaremus, extremitas affecta in arculam coniciiebatur, adiunctis bacillis stramineis, calcique calcitella submissa.

*D.* 23. *Aug.* Cum fere omnia in eodem statu essent, praeter fasciam libriformem (vielköpfige Binde) nil mutavimus, sed non sine dolore decubitum in talo dextro cognovimus.

*D.* 24. *Aug.* Suppurationis abundantia, multitudoque larvarum quotidianam cruris dextri eamque accuratissimam deligationem necessariam reddidit. Notandum enim est, aegroti crus dextrum quietis necessariae gratia tertio tantum quovis die, crus sinistrum vero multo minus laesum rarius hucusque fuisse vinctum. Ad suppurationem emendandam linteum carptum in balsamo commendatoris tinctum vulneri imposuimus, ad vires vitales autem refocillandas victum lautiorem nec non decoctum corticis Peruviani et Cascarillae cum liquore anodyno minerali Hofmanni iunctum praescripsimus, ac libenter satisfecimus votis aegroti, qui se semper modico spiritus frumenti usu delectatum esse confitebatur, et huius panaceae aliquantulum quotidie petebat. Fragmenta ossea cruris dextri sic satis bene posita fuere, area vulneris bonae indolis esse videbatur. Suppuratio cruris sinistri larga quidem erat, sed in coniunctionem ossis tendebat, ciborum appetitus somnusque optimus. Quae laeta omnium rerum conditio effecit, ut aegrotus noster resipisceret, et vel in ipsa deligatione verecundiae fines haud migraret. Ob diarrhoeae molestiam quaque vespera pulverem Doveri accepit.

*D.* 8. *Sept.* Licet cuncta rite procederent, decubitus tamen incrementum, summaque ipsius ad haemorrhagiam inclinatio timorem nobis iniecit, quibus accessit renovata aegroti insolentia ac diarrhoeae incommoditas.

*D.* 11. *Sept.* In dextro crure duabus tibiae squamis liberis, a natura ipsa labefactatis, facillime ac sine gravi partium mollium irritatione extractis, duas similes mobilesque sponte postea separandas et expellendas in plaga reliquimus. Decubitus amplus multum sanguinis non guttatim, sed rapido cursu effudit. Decrescens cruris sinistri suppuratio abscessum ad sanationem festinare indicavit, quapropter fascia simplex in cochleam quasi serpens circumducta est; diarrhoea temperari non potuit.

*D.* 18. *Sept.* Ex triduo in sura dextra tumor fluctuavit, qui apertus multum puris edidit. Fragmentum tibiae superius tuberculis carneis emergentibus obtegi coepit, inferioris exfoliatio restitit exspectanda, dolor nisi inter deliga-

tionem vix adfuit, diarrhoeae pertinacitas decoctum althaeae et columbo cum syrupo opiato flagitavit.

*D.* 19. *Sept.* Nocte praeterlapsa febris gastrica cum vehementissima diarrhoea erat exorta, quam ob causam emulsio oleosa cum syrupo opiato ordinabatur.

*D.* 24. *Sept.* Ossa cruris sinistri bene coalita fuere, abscessus et incisurae ad sanationem tendebant, sura dextra valde tumens plurimum ichoris eiecit, ita ut vel musculi consumi crederentur. Excepta alvo laxa sic satis bene se habuit aegrotus.

*D.* 2. *Oct.* Cum fragmenta ossea in dextro crure actione musculorum ab idoneo situ removerentur, et inferius super superius attolleretur, particulam inferioris serrulae auxilio exemimus. In vulnere ipso suppuratio non mala, in sura vero pessima deprehendebatur. Decubitus et diarrhoeae conditio votis nostris minus respondebat.

*D.* 7. *Oct.* Vulneris dextri latebrae magis magisque tenera novae carnis sobole implebantur, decubitus minui coepit. In crure sinistro vero inquietudo aegroti recentem abscessum, malique mores ipsius diarrhoeam frequentissimam procreaverant, quae infusum florum arnicae, corticis cascarillae et radicis columbo cum syrupo corticum aurantiorum flagitavit.

*D.* 26. *Oct.* Tandem aliquando quotidiano lapidis infernalis usu assequuti sumus, ut vulnus cruris dextri contraheretur, ossa germinibus carnosis obducta nec amplius in conspectu posita incipientis calli spem laetissimam in nobis excitarent. Abscessus surae parum puris excrevit, et ad sanationem tendere videbatur, decubitus fit angustior, propensio vero ad haemorrhagiam eadem remansit. Cruris sinistri restitutio in integrum multo meliores quam dextri in universum fecerat progressus. Vel diarrhoeae tumultum decrevisse, aegrotus hilaris magis quam gratus confessus est.

*D.* 8. *Nov.* Partes molles in utroque pede integritatem recuperant, apostematum exiguae tantum supersunt reliquiae, decubitus indies fit siccior; diarrhoea bis modo quotidie aegrotum turbat, sed ossium vitia temporis spatio et patientia sunt superanda.

*D.* 14. *Nov.* Tentamina quoad ossium coalitionem desiderio nostro minime respondent, ceteroquin cuncta nobis sunt probata, et ne premendo quidem dolor in osse excitatur.

*D.* 21. *Dec.* Cum per plures septimanas nil memoratu dignum accidisset, haud commodum videtur, lectoribus singulorum dierum recensione parare molestiam. Sanatio vulneris, coniunctio ossium nunc celerrimos brevissimo tempore facit progressus, in vulneris superficie tantum areola superest grossi ambitu carne luxuriante obducta, cuius immoderatam progerminationem ne lapidis quidem infernalis applicatio coërcere valuit. Decubitus parum abest a cicatricis formatione. Experimenta de ossium unione instituta opinionem nostram praeconceptam fere superarunt. Aegrotus enim, cuius omnes functiones iusto procedunt, non solum pedem attollere eumque sine doloris sensu sufficienter movere, sed etiam manum medici plantae appressam fortiter repellere potest. Quae cum ita essent, St... ex cubiculo pro fractura in commune transportavimus, pedique situm lateralem Pottii concessimus.

*D.* 16. *Ian.* In hac tam eximia utriusque pedis conditione seposuimus ferulas, et quid aegrotus stando, quid ambulando valeret, experiri tentavimus. In ingressu corporis pondus dimidium digitis tantum pedis dextri suffulciri potuit, quippe cum calx terram non contingeret, sed duos pollices ab ipsa esset remota. Crus arcum descripsit et inhabile sese prodidit. Quam antea notavimus, areola luxurians non mutata, decubitus fere conglutinatus erat. In pede sinistro nec dolor nec insignis molestia sentiebatur. Praeter nostram praedictionem St... obesitatem totius corporis conspicuam adeptus est.

---

## Particula VIII.

(Quaestionum chirurg. Particula XXVII.)

---

Quotiescunque contingat, curationibus praeter omnem exspectationem evenientibus edoceri medicos, quod satis

repeti atque commendari nequit, plus docta arte naturam valere, vix tamen rarius accidit, ut idem casibus etiam plane contrariis moneamur. Et id quidem nosmet ipsi eodem sumus experti tempore, quo vere delectabamur incrementis, quae in dies laetiora illius aegroti valetudo cepit, cuius calamitatem restitutionemque superiori prolusione cum lectoribus communicavimus. Nam quum hic, qui vulnus tam grave tulerat, corporisque conditione tam depravata laborabat, ut magis temeritatis quam spei esse videretur, membrum illud velle servare, quo vita ipsa in periculum vocaretur, quum hic, inquam, non solum vim vitalem, sed etiam membri affecti paene pristinum recuperaret usum, alius quidam, cui optima quaeque vel cautissimi sperassent, operatione dexterrime instituta atque prosperrime absoluta, sanatione celeriter praecedente, neque aliqua re malum augente, vel valetudinis progressus retardante, non modo non restitutus est in sanitatem, sed simul artem nostram cum spe laetissimi exitus satis firmata repentino obitu prorsus elusit. Neque vereor, ne quis sit, qui tam inopinatae mortis culpam ad nos trahat, eamque operatione esse adductam contendat, quum vix demonstrari possit, alioquin illam tardius adventuram fuisse. Profecto exemplum memorabile et dignum, quod ad ea accedat, quibus prognosin cautissime sistere iubeamur. Quam ob causam rem, quam fieri potest, brevissime exponam.

W . . . . ., operarius, 62 annos natus, corpore quidem robusto, vitae vero miseranda constitutione, quum ovilia ex nonnullis iam annis cubiculum ei praebuissent, victuque vilissimo magis, quam par erat, debilitato, ob eamque causam mente hebete atque stupida, die 22. Oct. 1838 in nosocomium Divi Iacobi transmissus est. Laborabat enim ex anni circiter spatio ulcere carcinomatoso in labio inferiori, idque quum satis grave videretur, a nobis receptus est. De origine huius mali interrogatus haec nobiscum communicavit: se, quoties pondus gravius sustulisset, labium inferius usque ad excoriationem mordere esse solitum; inde vulnera leviora saepius exorta, eschara quidem mox superinducta, continuo tamen, quum ei neque novacula barbam tondens

neque dentibus digitisve identidem irritans pepercisset, recrudescentia. Hunc ante annum in vulnerum illorum loco verrucas minores provenisse, quae eodem, quo illae, modo detractae humorem edidissent, excoriationes vero serum excernentes neque rursus cutim regenerantes reliquissent. Et haec quidem, quaeque praeterea homo misere afflictus de se rebusque suis exposuit, ita comparata erant, ut veri quandam in se similitudinem haberent, malique originem bene explicarent: verum enimvero, quam ille prodidit mentis debilitatem fatuitati haud raro comparandam, ea prohibuit, quominus eius narrationi plenam fidem haberemus. Carcinoma ipsum satis magnum iam fuit, et occupans fere totum labium inferius, excepto angulo oris dextro, et super id in nonnullis locis libere dependens, in oris cavitate usque ad glandulas salivales tendebat. Compositum fuit ex multis verruculis, quae vel levissime tactae sanguinem emiserunt. Doloribus locum affectum vexari negavit aegrotus, neque masticationem et deglutitionem, loquelam vero, labiorum motu haud mediocriter impedito, interruptam et balbutienti similem invenimus. Quod attinet ad reliquum eius corpus, aegrotus, ut supra iam diximus, satis robustus hernia tantum scrotali duplici laboravit, quae quidem annulo abdominali admodum dilatato reponi, neque tamen reposita retineri potuit, aegroto vero ne incommoditati quidem nedum impedimento fuit.

Primo huius rei intuitu quamvis extra omnem dubitationem nobis positum videretur, nonnisi carcinomate cultri ope resecto ad perfectam huius mali sanationem perventum iri, tamen, quum temporis angustiis aegrotus non premeretur, nonnullis rationibus commoti operationem per aliquot hebdomades differendam esse putavimus. Partim enim necesse nobis videbatur, ut aegrotus victu lautiori vivendique ratione magis, quam antecedens, apta omnes suas vires recuperaret, partim nostra interfuit, utrum carcinoma maius occupaturum esset spatium, an non, observare.

Aegroti valetudine sensim prorsus firmata, carcinomate vero non dilatato, d. 7. Dec. operatio a Iustio, Med. Bacc. dignissimo, instituta est. Postquam primum, quod ceperamus,

consilium, ulcus carcinomatosum instrumento illo, a Beinlio invento, concipiendi, tum vero una incisione resecandi, exsequi non potueramus, quod partes, operatione hoc modo instituta remansuras, valde iam depravatas inveneramus, triangulari excisione labium inferius carcinomatosum a partibus sanis discindendum esse arbitrati sumus.

Prima incisio facta est ex angulo oris sinistro, obliqua directione usque ad menti apicem prolongata, cuius in decursu arteria quaedam satis magnam sanguinis copiam edens digitis comprimenda fuit. Quo facto ex angulo dextro similis incisio producta est, ita ut in mento angulus formaretur, labiique pars discissa trianguli figuram aequaret. Tota haec pars labii inferioris nunc ab alveolis et maxilla inferiori dissoluta et in utroque latere arteria coronaria labii deligata est. Integumenta vero genarum, quum nullo modo ita extendi possent, ut spatium cuti nudatum tegerent, a maxillae inferioris lateribus alveolisque ibi positis desecanda fuerunt, donec satis protracta illud spatium perfecte explerent. Qua in re perficienda ex dextro cavitatis oris latere ramus arteriae maxillaris inferioris multum edidit sanguinis, cuius profluvium non prius, quam arteria ipsa deligata, locus vero, ex quo sanguis provenit, thrombo clausus erat, cessavit. Quo facto cutis lobi in excisurae loco sutura cruenta quintuplici, emplastro adhaesivo superimposito, coniuncti sunt. Ne vero per cutim eo modo extensam semperque in statum pristinum redire studentem disiunctio fieret loci contracti, in utroque latere sub arcum zygomaticum chartam cum emplastro adhaesivo convolutam applicare visum est, quae partes carneas antrorsum premeret. Additae sunt emplastri eiusdem laciniae, quae cruciatae iustam toti huic machinae conciliarent compressionem necessariamque firmitatem. Quibus omnibus fascia circumiecta est, eum in modum capiti circumdata, ut, utroque eius fine convoluto, media pars occipiti affigeretur, tum partes laterales sensim evolvendae satis magna cum vi antrorsum tractae supra vulnus, ubi convenerunt, altera per alteram aperturae ope transmitteretur, et sic, quoties necessarium videretur, ut iustam adipisceretur deligatio firmitatem, capiti circumduceretur.

Aegrotus, qui nullo doloris signo vel motu vel voce edito incredibili tranquillitate atque hebetatione omnia pertulerat, nunc in lectum transportatus et quieti traditus est.

*D.* 8. *Dec.* Aegrotum noctem tranquille etiamsi non dormientem transegisse, summa laetitia audivimus. Haemorrhagia scilicet levioris momenti, in oris cavitate paullo post operationem orta, mox aquae frigidae iniectae usu sedata est. Iam ope tubuli elastici, inferiori fine in canaliculum leviorem exeuntis et ori immissi, superiori vero cum infundibulo vitreo coniuncti, aegroto lactis aliquid ingerere conati sumus. Cuius nostri conaminis felici successu gavisi eum cupide et facile fluidum illud deglutientem vidimus. Dies tranquille transiit, lacte et Syrupo Rubi Idaei saepius ingesto; sanguis, qui passim promanavit, levi negotio inhibitus est.

*D.* 9. *Dec.* Mutatio fere nulla. Ligatura adhuc firma est; suppuratio incipit, quod ex pure per lintea integumenta exsudato coniicimus. Dolores aegrotus quidem non accusat, sed ex inquieta eius sese gerendi ratione febrem adesse suspicamur. Medicationem mutandam non arbitramur.

*D.* 10. *Dec.* Nocte haud ita quiete transgressa, statuque aegroti omnino nec tamen gravius mutato, suppuratione in oris cavitate exorta valde eum vexari concludimus. In universum certiores de eius conditione vix fieri potuimus, quum linguae usus interceptus silentiumque ei impositum esset, neque ex manuum motibus, quibus statum suum describere conatus est, certi quid concludere liceret. Nutritus est eodem, quo dixi, modo lacte et iusculo carneo, quod cum voluptate quadam consumere videbatur. Eiusdem fluidi clysmata applicata in aegroto nonnisi parum temporis commorata sunt.

*D.* 11. *Dec.* Quamquam ligatura, aegroto quam maxime tranquillum sese gerente, adhuc firmitate iusta partes vulneratas tetigit, tamen propter pus large excretum renovata ligaturae applicatio necessaria videbatur. Fasciis omnibus remotis vulnus adspectum nobis iucundissimum praebuit. Quinque filorum, quibus sutura constabat, duo soluta erant, ita ut vulneris margines in uno loco paullo disiunctae

apparerent, emplastro adhaesivo autem facili negotio reconciliari possent. Media vulneris pars per primam intentionem sanata videbatur, angulus superior et inferior suppurationem incipientem nobis obtulit. In oris cavitate multum puris excretum collectumque fuit, quod aquae iniectae ope egessimus. Ligaturam priori similem applicavimus, fascia Graefiana toti superinducta.

*D.* 14. *Dec.* Diebus nonnullis quam quietissime praeterlapsis, hodie quoque aegroti statum eum invenimus, qui optimam felicis exitus spem nobis faceret. Digestionis functiones bene processerunt, lac et iusculum carneum bono appetitu capta, alvus per aliquot dies obstipata sponte deposita est. Aegrotus voces nonnullas edidit, nobisque neque doloribus neque suppuratione partium oris violatarum valde sese vexari retulit. Febris evanuit, sitis sedata est, somnus quietus noctu, saepiusque die rediit. Ligaturam renovavimus vulnusque exoptatum referens adspectum invenimus.

*D.* 18. *Dec.* Quo saepius aegrotum visitavimus, eo maiori spe gaudioque eius conditio nos affecit. Deglutitionem eo usque expeditam reperimus, ut extra fluida iamiam nominata frustula panis albi lacte mollita aegroto ingerere possemus. Digestio bene valuit, alvus regulariter soluta. Vires rediisse videbantur, nam aegrotus iam diutius extra lectum commorari potuit. Ligatura remota cicatrisatio satis multum progressa et vulneris pars superior tantum adhuc aperta conspiciebatur, quam ut recente deligatione etiam coniungeremus, fore sperare nobis licuit.

*D.* 19. *Dec.* Hora matutina octava aegrotum invenimus, ut solebat, quietum sorteque sua contentum; nullum accusavit dolorem, nullam molestiam. Consumserat iamiam optimo appetitu cibum suum, panem album cum lacte, et quum ei permissum esset, ut de lecto surgeret, reliquimus eum ad hoc se parantem. At hora circiter post lipothymia eum corripuit tam subito, ut, nisi a custode sustentus fuisset, sella decidisset. Quum in lectum transportatus esset, sudor universalis frigidus prorupit, respiratio impedita, facies pallida et collapsa fuit. Pulsus celer, sed minimus, filiformis, cordis palpitatio vix percipienda. Conscientia perfecta mox

reversa, aegrotus interrogatus dolorem distinctum sese sentire negavit, caput vero grave pectusque oppressum esse retulit. Cataplasmata calida ad pedes, sinapismi pectori imponendi, Liquor Mindereri et clysma ex aceto ordinata sunt. Quibus rebus adhibitis aegrotus quietem recuperavit, ita ut in somnum lapsurus videretur. Hora vero XI. nondum audita, ad sellam familiarem se duci rogavit, ut alvum deponeret, quo quum venisset, excrementis cito et levi negotio evacuatis, mortuus in custodis eum sublevantis brachiis iacuit.

Cadaveris sectio postridie instituta pauca vel potius nulla exhibuit momenta, quae mortis tam subitae causam praeberent. Cerebrum emollitum et fluidum inter meninges exsudatum inventum est. Organa abdominis laxa et aeque ac pectoralia sanguine vacua erant. Vulneris margines tam firme coniunctas invenimus, ut nonnisi cultro disiungi possent. Quibus ex causis arbitrati sumus exitum vitae ad apoplexiam sanguineam esse referendum.

---

## Particula IX.

(Quaestionum chirurg. Particula XXVIII.)

---

C. C. W., puella rustica, undeviginti annos nata, constitutione subscrophulosa laborans, morborum infantilium aeque ac iuvenilium prorsus ignara, robusta, bene nutrita, ac per aliquot annos iuste menstruata, die Maii quinta h. a.*) in nosocomio Divi Iacobi Lipsiensi suscepta, a nobis sedulo explorata haecce exposuit. Festo Pentecostes a. p. tumor exiguus, rotundus, prope angulum externum oculi sinistri emersit, duriusculus quidem, sed mobilis minimeque molestus, quapropter puella simplex una cum parentibus viros artis medicae peritos consulere neglexit. Quae incommoditas cum circa festum nativitatis Christi a parvulo repente crevisset, nec non integumenta oculi communia occupasset, puella tandem primum ab homoeopathicis, deinde ab alloeopa-

---

*) MDCCCXXXIX. E.

thicis medicis auxilium requisivit, qui diversissima medicamenta incassum proposuerunt. Adiecit puella, fuisse quoque medicos, qui malum pro tumore saccato habentes, exstirpationem ipsius commendare tentarent, nobilium vero partium, uti oculorum, vicinitatem timentes, ab hac operatione plane abstinendum crederent. Quae cum ita essent, puella de salute fere desperare incipiens, in nosocomium Lipsiense, tanquam in securum asylum, sese contulit. Conditionem praesentem puellae explorantibus nobis haec se obtulerunt. Genae sinistrae insedit tumor ovalis, ovi gallinacei minoris volumen continens, rubri coloris, consistentiae duriusculae, parum mobilis, in parte infima circumscriptus, sursum sese expandens, ac palpebram inferiorem eum in modum occupans, ut oculus sinister a cernendo prorsus prohiberetur. Eiusdem tumoris continuatio regionem frontalem et superciliarem invaserat, et eminentiam mollem, ambitu monetae quatuor grossos valentis, ibi formaverat, cuius contrectatione dolor valde pungens excitabatur. Ceterae partes confines tumidae quidem, minime vero dolentes deprehendebantur. In cavitate oris nil praeternaturale inveniri potuit. In genu sinistro tumor, qui puella narrante antea maior fuerat, eamque iam per longum tempus maximopere vexaverat, nunc quidem parum doloris paravit, sed per ancylosin ingressum admodum impedivit, et claudicationem produxit. In integumentis communibus huius articuli indicia ferri candentis olim adhibiti manifesta fuere.

Licet in diagnosi morbi constituenda nos in dubio esse confessi simus, minus tamen eum ad tumores saccatos, quam ad cariem ossis frontis latentem referendum, eiusdemque medelam in constitutionis corporeae emendatione, et in bonae suppurationis generatione quaerendam esse duximus, et has pilulas ordinavimus:

℞ Ferri jodin. ʒβ,
Gi asae foetid.,
Extr. dulcamar.,
Sapon. med. aa ʒj.
M. f. l. a. pilul. gr. ij. Consperg. Sem. Lycopod.
S. Ter de die quatuor pil. sumantur.

Species discutientes parti vexatae sunt impositae, ut, si forte fieri posset, resolutio efficeretur.

*D.* 12. *Maii.* Cum tumor, qui iam ex quatriduo ad abscedendum proclivis videbatur, inde ab hesterno die punctum acuminatum ostenderet, in hoc ipso loco emplastrum resolvens Schmuckeri cum emplastro diaphoretico Mynsichti iunctum imposuimus, et pro usu interno pulverem antiscrophulosum Goelisii exhibuimus.

*D.* 18. *Maii.* Hoc emplastrum postquam per sex dierum spatium continuatum esset, tumoris duritiem adeo feliciter emolliverat, ut hodie ruptus magnam puris, quale in corporibus scrophulosis esse solet, et sanguinis copiam eiiceret, quo factum est, ut partes orbitales collaberentur, et aegrota multo liberius, quam antea, cernere valeret. Specillum in abscessus cavitatem demissum cariem ossis iugalis incipientem indicavit; eidem instrumento via patuit usque ad os frontis, cuius quoque particula carie crudeliter fuit affecta. Qua cognitione nos permoti setaceum induximus a loco ossis frontis vexato usque ad orificium abscessus, partim ad deducendum ichorem, partim ad minuendam illam perpetuam irritationem. Medicamentorum nulla mutatio necessaria habebatur.

*D.* 1. *Iun.* Quotidie magis magisque cognovimus, in hac puella sub optimae sanitatis splendore ac iuvenilis roboris imagine dyscrasiam malignam latere, ac ancipitem prognosin sistendam esse existimavimus. Setaceum puris haud spernendi largam excretionem provocavit, ac solummodo, quoties movebatur, doloris excitavit sensum.

*D.* 18. *Iun.* Hucusque nil memorabile est observatum. Quaelibet vel levissima iniuria externa irritationis et intumescentiae palpebrarum augmentum induxit, quae ipsarum motum et aperturam, visusque libertatem aliquamdiu impedivit; puris excretio modo largior, modo parcior fuit.

*D.* 30. *Iun.* Cum aegrota se ex nonnullis diebus commemorati genu tumoris incrementum absque ulla inflammatione sensisse confiteretur, nos balneorum et unguenti nervini usum necessarium duximus.

*D.* 14. *Iul.* Puella in universum nec de meliori condi-

tione laetata, nec de peiori conquesta est, balnea vero genuque unctio haud frustra adhibita videbantur. Pro usu interno oleum iecinoris aselli ordinavimus.

*D.* 26. *Iul.* Quod medicamentum cum non solum nauseam aliasque digestionis molestias, imprimis cephalaeam vehementem excitasset, omnia medicamenta interna seposuimus, et propter catameniorum instantium exspectationem omnem salutem in medicina praestolante quaerendam esse credidimus, quae spes vero nos fefellit, etenim menstruatio haud comparuit.

*D.* 4. *Aug.* Ex quo iecoris oleum reiecimus, cuncta molestiarum cohors, uti cephalalgia, nausea, appetitus depravatio disparuit, et digestionis organa officiis suis consuetis iusto modo functa sunt. Setaceum ad reactionem fortiorem promovendam balsamo peruviano illinitum induximus.

*D.* 16. *Aug.* Licet omnia in partem meliorem sese vertere viderentur, tamen iam per triduum valetudinem universam puellae nostrae perturbatam esse credidimus, quod hucusque constanter dissimulaverat, nunc vero diutius reticere non tentavit, sed de hebetudine sensuum appetitusque defectu conquesta est. Praeter linguae spurcitiam nulla symptomata gastrica urgebant, febriculae indicia aderant, suppuratio in peius transitura videbatur. Potionem resolventem exhibuimus, victum tenuissimum commendavimus.

*D.* 17. *Aug.* Symptomata gastrica perparum mutata, neque exacerbationes febris vehementes fuere, eo molestior vero cephalalgia ac alvina obstructio fuit, quarum causa electuarium lenitivum propinatum est.

*D.* 19. *Aug.* Cum linguae superficies impura vomendique conamina squaloris intestinalis abundantiam significarent, medicamentum emeticum praescripsimus, sed antequam hoc ingestum est, nausea voluntaria, repente exorta, lipothymiam induxit, atque collapsum faciei quam maxime suspectum. Ad propositas quaestiones aut omnino nullas aut ineptas reddidit responsiones. Accessit quoque infaustorum symptomatum multitudo. Totum corpus sudore frigido obtectum, oculorum bulbos glutine quasi oblitos, languidos ac rigentes, nasumque acutiorem adspeximus. Advenit summa corporis inquietudo

et iactatio, deliriorum ferocitas, irregularis manuum pedumque agitatio, pulsus exilitas ac frequentia morbosa. Ad congestiones sanguinis coërcendas et apoplexiam avertendam sinapismos cervici, cataplasmata pedibus imposuimus, nec non Infusum radicis Ipecacuanhae exhibuimus.

*D.* 20. *Aug.* Tempus pomeridianum symptomatum saevitiam diminuerat, mentemque sanam reduxerat, vespere vero febris recruduit, et media nocte ad summum gradum vehementiae adscendit, ut mentis alienationem iterum observaremus. Inter deligationem aegrota conscientiam sui adepta est, et dolorem capitis, praesertim in osse bregmatis dextro, denuo accusavit. Noctu alvus liquida inscia aegrota secesserat. Ex abscessu non puris, sed ichoris profluvium conspeximus. Emulsionem oleosam cum calomelite dedimus, et cataplasmata capiti, sinapismum pedibus adiecimus.

*D.* 23. *Aug.* Haec mira aegrotae conditio per biduum sibi constitit. Dolor commemoratus sedem suam non deseruit. In exacerbationibus mens sui non compos, et sensorium commune graviter fuit affectum. Pro sinapismo antea cervici applicato emplastrum vesicatorium pectori imposuimus, et medicamenta continuavimus.

*D.* 24. *Aug.* Nocte tolerabiliter superata puella statim post deligationem subito in summam debilitatem incidit, ex qua mortis appropinquationem cognovimus, quae post aliquot horas vere accessit.

Cadaveris sectio, *d.* 25. *Aug.* instituta, quae nostram suspicionem de latente carie haud vanam fuisse probavit, haec nos docuit:

1) Calvaria fuit tenuis, eiusque facies interna sanissima.
2) Dura mater non nimio sanguine repleta, in basi cerebri multum seri inveniebatur, glandula pituitaria iusto mollior, tela cellulosa, infundibulum cingens, sero turbido turgebat, in utroque ventriculo laterali aeque ac in tertio, cuius parietes emolliti fuere, multum seri latuit.
3) Glandula parotis musculusque masseter a norma haud recesserunt, processus zygomaticus ossis frontis, uti processus frontalis ossis zygomatici, usque ad marginem orbitae carie affecti deprehendebantur, corpus

huius ossis utrobique fere corrosum, frontem vero, oculos et antrum Highmori sine noxa, summam autem destructionem in osse zygomatico contemplabamur. Contextus cellulosus ipsi vicinus parum fuit mutatus. Periosteum consueto crassius, nec valde vasculosum, ab osse proximo facillime removeri potuit. In ossium partibus periosteo plane destitutis multorum granulorum carneorum initia apparuerunt. In osse frontis areolam thalero dimidio Borussico aequalem carie deletam observavimus.

4) Glandula thyreoidea tanta fuit mollitie, ut melli esset similis.

5) Pulmo dexter ad maximam partem, sinister ubique tela cellulosa laxa cum partibus confinibus concretus.

6) Cor sine labe.

7) In visceribus abdominalibus nulla pernicies inventa est, si exceperis aliquot glandulas mesaraicas tuberculosas, ac nonnullas eiusmodi collectiones in splene emollito.

8) Patella dextra utrobique tela stricta tendinosa cum femore coalita fuit; nec non vestigia manifesta priorum collectionum tuberculosarum in conspectum venere. Interna patellae facies scabra fuit, et foveolam oboli ambitu inveterata congerie tuberculosa repletam praebuit. Bursa mucosa genu in parte fibulari materiam sebaceam continuit. Condylus femoris externus deformis ac iusto brevior fuit, et cum conveniente tibiae condylo conflatus, in quo loco dissecando nos *a.* involucrum cartilagineum plane desideravimus. Deinde *b.* initia sanationis processus tuberculosi in epiphysi femoris invenimus, qua superficies ossea congenita introrsum pressa apparuit, et passim a superficie ossea recens formata, atque periosteo maxime vasculoso erat obducta. Denique *c.* materia flavo-albida, albuminosa nuclei cerasini ambitu sub articulari superficie inter telam squamosam femoris effusa conspiciendam se exhibuit.

---

# Particula X.

*Lithotomiae feliciter quidem peractae, sed letaliter finitae enarratio.*

---

## Sectio I.

(Quaestionum chirurg. Particula XXIX.)

Ioannes Aenotheus F., puer undecim annorum, a parentibus rusticis humili fortuna praeditis natus, corporis infirmitate congenita pressus, constitutione lymphatica, habituque scrophuloso laborans, mira vero mentis tranquillitate et hilaritate ornatus, propter calculi in vesica urinaria latentis suspicionem, d. 22. Oct. MDCCCXXXIX. sanationis causa nosocomio Lipsiensi, quod a Divo Iacobo nomen habet, traditus est, meaeque curae commendatus. Mater pusionis de vita ipsius hucusque acta explorantibus nobis haecce tradidit. Filiolus iusto tempore, maturus quidem ac vitalis, sed imbecillis natus, morbos infantiles non expertus est, exceptis morbillis, quibus superatis prima vestigia stranguriae comparuerunt. Puer trimus quadrimusve lumbricis laboravit, quae quidem molestiae repetitis vicibus regressae, et paulo ante quam nosocomium adiret, iterum rebelles seminibus cinae debellatae sunt, quae vermium intestinorum excretionem provocarent.

Ante omnia id mihi curae cordique fuit, ut non solum calculum vesicalem, quo aegrotum laborare persuasum habebam, vere adesse cognoscerem, sed etiam de ipsius superficie, magnitudine, consistentia ac duritie certior fierem. Qua de causa specillum exploratorium Langenbeckianum statim induxi, quo factum est, ut nonnullis instrumenti motibus ipsum detegerem, ac lenis crepitationis excitatione, aeque manu atque auditu percipienda, superficiei scabritiem certo cognoscerem. Calculus in regione superiore dextra vesicae urinariae latens magnitudinem ovi columbini comprehendere videbatur, quae cuncta a pluribus medicis iunioribus confirmabantur. Puer ipse haecce conquestus est symptomata: in

glande pruritum valde molestum, qui effecit, ut aegrotus in excernendis ultimis urinae guttulis membrum virile cum impetu arriperet, et praeputium, quantum fieri potuit, extenderet. Orificium urethrae levi inflammatione laboravit. Lotium saepius, sed guttatim, non absque dolore, una cum tenesmi accessione atque ani prolapsu, nec non interdum in positu corporis inçonsueto, et repentina emicationis interruptione expellebatur. Urina ipsa praeter pallorem coloris a communi vix recessit.

*D.* 2. *Nov.* Sicuti ante qualemcunque gravioris operationis chirurgicae susceptionem diligens adhiberi solet corporis praeparatio, ita quoque in hac lithotomia sive potius cystotomia negligere noluimus huius officii exercitationem, quocirca pridie medicamento eccoprotico, et die operationis ipso clysmatis iniectione intestina crassa a fecum congerie liberare sedulo tentavimus. Paulo ante operationem medicamentum opiatum puero propinavimus. In encheiresi ipsa methodum Langenbeckianam tamquam simplicissimam in usum vocavimus, cuius momenta quatuor priora, i. e. inductio specilli sulcati, — incisio integumentorum communium, — partis vesicae membranaceae, — ac colli vesicae ipsius, quo celerius perficiebantur, eo maiora nobis in quinto sese obiecerunt impedimenta, extractionem calculi retardantia, quippe qui, uti saepius observatur, latebras super symphysin ossium pubis quaesivit, nec nisi fortiter compressa regione pubis forcipis curvi ope arripi potuit. Absoluta operatione, nec vulneris conditio nec calculi ratio nobis quidquam obtulit, quod malae prognosis constituendae ansam nobis praebere potuisset: in plaga enim iustam habuimus magnitudinem iustamque formam, nullam vero intestini recti, nullamque grandioris vasis sanguinei laesionem invenimus, ex qua haemorrhagiam secundariam timere potuissemus. Vesica urinaria diligenter explorata nil amplius continuit. Calculus nucis iuglandis ambitum ac rotunditatem, et pondus trium drachmarum, duorum scrupulorum et sex granorum habuit, atque consistentiae fuit durioris granulosae, et tantummodo passim in facie externa aspritudinem ostendit. Nunc puer in proximo cubiculo sine ulla deligatione, quae post hanc operationem

os coarctatum ad tres tantum pollicis quadrantes aperiri, ac cibi potusque inductio aegre tantum, ac tantummodo cochlearis minoris ope perfici posset. Ulcera, colli superficiem anteriorem ac thoracis integumenta communia ad costam septimam usque exedentia, in cicatrices transierant, in quarum fundo tanta fuit cutis tenuitas, ut venae cutaneae pellucerent. Glandulae axillares aeque atque mamma sinistra ulceribus laborarunt, quae non levem excitarent dolorem. Praeterea femina interdum de cephalalgia levi conquesta est. Ceteroquin functiones corporis, v. c. ciborum appetitus, et secretiones, nec non somnus, minime reperiebantur perturbatae.

Nolo nunc enumerando medicamentorum adhibitorum multitudinem lectoribus parare molestiam, sed tantummodo addo, victum aptum, plurima eaque diversissima remedia, uti antimonialia, mercurialia e. s. p., quin imo ieiunium, in usum esse vocata, et hoc modo malum quidem fuisse lenitum, minime vero sanatum. Quae cum ita se haberent, aegrota omnem spem abiecit, ac miseriam certam et manifestam, a Deo ipsi impositam, perferre maluit, quam ab ingrata remediorum farragine incertam et vix sperandam medelam petere, et hac de causa iterum ab omni medicina, excepto seri lactis usu, per triennium abstinuit. Quo temporis spatio praeterlapso cum omnia in peius ruerent, hoc ipso vere aegrota, amicarum potius admonitionibus satisfactura, quam suis ipsius votis permota, denuo solertissimae chirurgi curae se tradidit, qui cum omnia miserrime mutata invenisset, imaginem vultus deformati simillimam delineavit, et mecum communicavit, quam lectoribus proponimus*).

In capitis parte capillata (*a*), in latere frontis sinistro (*b*), in dextra maxillae superioris regione, si palpebram inferiorem elevaveris, in labio superiore et inferiore (*e*), in mamma sinistra, et in regione pectoris superiore (*f*), ulcera atque ulcuscula marginibus elatis, haud vero retusis, inaequalibus atque corrosis parum dolentibus conspiciuntur, quae aream impuram et lividam habent, et ichorem foetidum evomunt; reliqua faciei pars cicatricibus albis redundat.

---

*) Vd. tab. VIII. E.

Visus non perturbatus est, iris in dextro tantum oculo conspicua coeruleum habet colorem, pupula est contracta, lens aliquantum opaca, palpebra superior utraque cicatricibus scatet, inferiores oedemate quam maxime tument (*c d*), vel gelatinam vel potius materiam sarcomatosam continere videntur, dextrae longitudo aeque ac latitudo tres metitur pollices, sinistrae diametrus longa pollices duos, transversalis pollicem cum dimidio habet, crassities in utraque pollicem excedit. Pondus horum deformatorum corporum impedit, quo minus possint claudi; cum somnum capit aegrota, lagophthalmus observatur. In dextro oculo ectropium cernitur, in sinistro enormis palpebrae inferioris tumor, et superioris cicatrices entropium una cum trichiasi producunt. Supercilia plane absunt, in angulo supercilii dextri interno trabecula carnea antea commemorata, pollicem fere longa, ambitum pennae maximae cycneae habens, in basi amplior, in apice tenuior, et ex pluribus globulis quasi constans restat, prominentiae illius pisiformis minima tantum particula superest. Nasus in suprema parte a palpebrarum inferiorum tumoribus compressus, in infima latissimus est, maximeque prominet. Labium superius tamquam in molem carneam mutatum ex tribus lobis constat, labium inferius itidem tumet, in angulo oris dextro est crassissimum, et solito magis ad superius adscendit. Cum cicatrices, tum ulcera efficiunt, ut os hiet, et salivae cum ichore fusco mixtae profluvium perpetuum coerceri nequeat. Processus alveolares dentibus omnibus, duobus modo exceptis, carent, fornix palati duri descendit, et magnam efformat in ore prominentiam. Tota fere maxilla inferior evanuit, et aegrota plures testas osseas servat, quae ex ea subinde exierunt, ex quibus cariem hic delitescere colligimus. Quocirca non mirandum est, formam faciei interiorem semiovalem in semicircularem esse mutatam. Sicuti in facie, ita quoque in collo atque superiore thoracis regione ulcera atque cicatrices deprehendimus. In hisce partibus tota morbi atrocitas exhausta esse videtur, in reliqua enim corporis superficie nihil, quod a regula aberret, invenitur. Omnes quoque functiones rite procedunt, nec quidquam, quod vitii in organismo latentis praesentiam testetur,

in promtu est. Cutis totius corporis integra, rugosa quidem, sed a maculis, papulis, vesiculis, squamis, fissuris, aliisque similibus malis libera reperitur.

Morbum descriptum rarissimum, maxime complicatum, et parum cognitum esse, quis erit, qui neget? Eius autem originem atque phaenomena si spectas, hoc malum partim (et quidem, nisi fallor, potissimum) ad impetigines, partim ad ulcera phagedaenica et cariosa, partim denique ad sarcomata pertinere concedes. Quotquot autem vel scriptores vel observatores, qui de impetiginibus loquuntur, consulas, vix ullum invenies, qui has tenebras dissipet, et teste P. Frankio [1]), „ut maior eorum, qui de his diffusius egerunt, verborum profusio difficultates rerum auxisse magis quam solvisse videatur.“ Etenim nemo illorum virorum, quod equidem sciam, morbi historiam nostrae similem memoriae prodidit, quod eiusmodi malorum raritatem satis probat. Nihilominus tamen ab horum phaenomenorum agmine desumenda est morbi denominatio, quoniam, si in exploranda aetiologia feminae relationibus fidem habes, ne levissima quidem dyscrasiae ullius probabilis adest suspicio, ut, sitne localis an universalis affectio, haud cognoscas. Interea, ubi omnia, quae oculis mentique sese obiiciunt, iusto modo perpendimus, non possumus non morbum primarium ad impetigines, et maxime ad vitiliginem referre, adiectis tamen iis, quae ad accuratiorem rei significationem conferre possunt.

Inter paucissimos vitiliginem commemorantes medicos C. Celsus primus nominandus est, qui tres eius species constituit: „Alphos, — Melas, — et Leuce, „quae omnes omnino integumenta communia destruunt, et serpunt, in aliis celerius, in aliis tardius. Priora curationem non difficillimam recipiunt, ultimum vix umquam sanescit [2]).“ Inter recentiores P. Frankius agmen ducit, ex cuius sententia „Vitiligo maculam aut macularum minorum congeriem in corporis superficie significat, quae, mutata a causis vel internis vel externis cellulosae subcutaneae vel integrae vel

---

1) Epit. de cur. hom. morb. L. IV. p. 8. 2) De medic. L. V. c. 28. p. 19.

exesae actione, cum pellis aliqua depressione, naturalem istius colorem, mobilitatem, levitatem, sensibilitatem et functionem hoc in loco aut ex parte aut in totum pervertit.“ Huius morbi cutanei plures species sistit: „Primariam ac secundariam, — deinde siccam et humidam, quae ichorem foetentem et acerrimum profundit, quae iterum in squamosam et ulcerosam dividitur.“ Haecce (ulcerosa) „pellis superficiem exulcerat, pilorum bulbos infestat, colorem habitumque immutat, aut prorsus e cute evellit [3]).“ Excell. HAASIUS vitiliginem tribus tantum verbis commemoravit, eamque leprae subiecit (chron. Krankheiten, III. 2. §. 687.). HAUBOLDUS Exper. [4]) eiusdem vestigia pressit. Exper. SCHMALZ [5]) CELSI FRANKIIque expositionem repetiit, et nonnulla exempla ad rem illustrandam adiecit. TH. BATEMANUS [6]) „vitiliginis nomine tubercula cutis glabra, alba, nitentia, quae in nonnullis corporis locis, in auribus, collo, facie, papulis nitidis commixta exoriuntur, comprehendit; modo celerius, modo tardius elevantur, deinde collabuntur, et cicatrices albas ac nitidas relinquunt, et cutem pelli vitulinae similem reddunt, et de hac ultima re nomen morbi derivare studet, — excoriationem autem unquam locum habere negat.“ Si quis Celsianam et Frankianam vitiliginis descriptionem cum morbi nostri historia comparaverit, fieri non potest, quin inter utramque similitudinem detegat, nostramque aegritudinem ad ulcerosam FRANKII referat: quod epitheton cum mali inclinationem se longius latiusque extendendi ac serpendi non satis clare significare videatur, perspicuitatis causa „serpiginosa“ addidimus. Quod illud terribile palpebrarum inferiorum augmentum sarcosin appellaverimus, in eo Ios. BEERIUM [7]) imitati sumus, qui exophthalmiam fungosam etiam sarcosin bulbi, sive exophthalmiam sarcomatosam vocavit, et hacce denominatione partim habitum horum tumorum externum, partim eorum

---

3) Epit. de cur. hom. morb. L. IV. §. 402. 403. 4) In diss. inaugur. Vitiliginis leprosae rarioris historia cum epicrisi. Lips. 1821. 5) Versuch einer med. chir. Diagnostik in Tabellen, p. 239. ccc. 2049. 6) Pract. Darstellung der Hautkrankh. nach WILLAN's System, aus dem Engl. von ABR. HANEMANN, Halle 1815. p. 397. 7) Lehrbuch der Augenkrankh. II. p. 223.

probabilem indolem indicare voluimus. Reliqua tandem ea propter adiecimus, ut lector uno quasi conspectu totius libelli summam cognoscat.

Quilibet historiam morbi praecedentem perlegens nobiscum statim consentiet, eius aetiologiam satis obscuram esse, quoniam aegrota ad omnes omnino quaestiones huc pertinentes non nisi, uti aiunt, responsiones negantes exhibet.

Ac primum quidem, quod ad causas praedisponentes internas spectat, haec femina, quantum quidem scimus, ab omni labe, tum congenita tum connata, liberrima fuit; a parentibus sanissimis genita, consanguineos habuit optima sanitate fruentes, eorumque neminem fuisse asserit, qui morbo vel chronico vel suspecto laboraret; accedit sinceritas probitasque ipsius, quae impedit, quo minus eam aliquid reticuisse credamus, cuius relatio ipsi prorsus insonti nec damnum inferre nec maculam adspergere potuisset.

Plerique quidem scriptorum, qui de exanthematibus chronicis verba fecerunt, inter quos Excell. Haasius eminet[8]), ad causas praedisponentes internas potissimum referunt graviores et diuturniores systematis reproductivi morbos in universum, et quae exinde necessario prodit, abnormem eius ac perturbatam functionem. Sed ne horum quidem malorum vestigia in aegrota nostra adsunt, quippe quae sedulo explorata, numquam se aut scrophuloso, aut rhachitico morbo, aut organorum abdominalium indurationibus, aut denique febribus pituitosis vel intermittentibus laborasse, constanter affirmat, quod non fictum esse, eo quoque probatur, quod duodecimum annum agens iam ancillae munus in se reciperet, cui nequaquam satisfacere potuisset, si illis morbis iuvenili corpori imprimis infestis vexata fuisset.

Nec vitae aetatisque periodi in morbi huius generatione vim exercuisse videntur. Femina enim consuetas corporis evolutiones, uti dentitionem primam aeque ac secundam, nec non catameniorum accessionem feliciter superavit, aegritudinis praesentis autem eruptio ante menstruationis cessationem facta est, nec ullo modo fluxionem menstruam

8) De exanthemat. chronicis in universum, spec. I. Lips. 1820.

mutavit. Eodem modo omnia omnino cum auctae tum imminutae totius organismi praeprimis cutis receptivitatis, quae non raro tamquam horum exanthematum genitrix accusatur, signa absunt, uti ex praecedentibus manifestum est.

Causis praedisponentibus externis merito adnumeratur vitae genus victusque ratio. Si vero forsitan ab alimentorum tenuitate, vel a rerum iniquitate, vel denique morum perversitate mali huius originem deducere velis, ne errorem committas, cavendum erit. Etenim aegrota licet egena sit, semper tamen munditiei operam exhibuit, habitatione non mala utitur, alimenta eiusmodi hominibus consueta capit, vitam sobriam et honestam degit, et ab omnibus rebus atque negotiis corpus corrumpentibus remota est.

Quae de causis praedisponentibus diximus, eadem quoque de occasionalibus repetenda sunt. Sive enim chirurgi, viri probatae honestatis, sive vicinorum testimoniis fidem habeas, sive ad aegrotae confessiones respicias, nihil occurret, e. c. infectio, perspirationis cutaneae sive sudoris pedum suppressio, aut aliarum cum secretionum tum excretionum ad sanitatem conservandam maxime necessariarum perturbatio, unde tam horribilis miseriae causa derivari possit.

Magni quidem momenti esse videtur illa repentina tumoris in gena dextra post dentis remotionem eruptio; sed valde incertum est, num odontalgia illa causa an potius effectus mali iam latentis fuerit. Etenim si connexus, quem dicunt, causalis hic locum habuisset, et vis externa, i. e. dentis extractio, accusanda fuisset, tumoris primordia vix in genae superficie, sed potius in maxilla, dentis evulsi domicilio, ortura fuisse credendum est.

In hac odiosa veritatis occultatione non possum mihi temperare, quin relationem illius chirurgi, cuius curae primum sese commendaverat aegrota, adiiciam, quae forsitan aliquantum lucis hisce tenebris affundere possit. Eodem anno, quo femina in morbum incidit, ipsius marito custodia viri morbo syphilitico laborantis tradita fuit; quo munere cum per satis longum temporis spatium functus esset, ulcera in faucibus ipsius valde impura et summopere suspecta exorta

sunt, quorum pernicies eo processit, ut uvula cum partibus adiacentibus destrueretur, atque loquelae sonus mutaretur, quorumque malignitas non nisi medicamentorum mercurialium usu compesci posset. Si quis ex hisce phaenomenis colligat, maritum ab illo viro infectum miasma syphiliticum cum uxore, utrisque insciis, communicasse, eius sententia a verisimilitudine parum abesse, et mandibulae exfoliatione probabilior reddi videtur. Quo modo autem haecce mira atque terribilis veneni syphilitici mutatio in corpore muliebri tunc sanissimo producta sit, haecce quaestio difficillima ad aenigmata, quibus ars nostra abundat, pertinet, ac dignissima est, quae a viris eruditis sedulo perpendatur, eiusque solutio avide expectatur. Fertilissimus quidem hic campus pateret, in quo exsultare posset coniecturarum inventio, sed „praestat," ut SWIETENII verbis utar [9]), „in morborum causis indagandis „progredi tantum, quousque per fidelia observata et cogni-„tam humani corporis fabricam licet, et in reliquis ignoran-„tiam fateri, quam fictis hypothesibus quantumlibet etiam „ingeniosis ludere."

Addenda sunt pauca de c a u s a p r o x i m a. Quemadmodum in plurimis impetiginum formis optimorum medicorum opinio confirmatur, exanthematibus cum acutis tum chronicis semper subesse organi cutanei inflammationem, ita quoque nostrum exemplum ad hanc theoriam probandam est aptissimum. Etenim aegrota nostra ab initio talis pustulae semper de dolore pungente, qui ab inflammatione fere numquam abest, conqueritur, qui vero, quo magis pars vexata in perniciem ruit, eo magis decrescit, donec prorsus evanescit. Nam haec localis cutis inflammatio, ab HUNTERO et THOMSONO infl. ulcerosa s. resorptio ulcerosa appellata, tantum abest, ut in resolutione aut suppuratione finiatur, ut potius fere ubique in exulcerationem cutaneam, malos humores secernentem, ab initio tantummodo partibus circumiacentibus, deinde toti corpori calamitosam, abeat. Nulli corporis parti parcit, imprimis autem cutim et membranas mucosas affligit, et modo simplex modo specifica, pro sua ipsius partiumque

9) Comment. in Boerhavii opus, Tom. III. p. 4. §. 755.

vexatarum diversitate, diversa quoque generat ulcera, in eo tamen sibi simillima, quod regionem affectam destruant, cuicunque reproductioni se opponant, et difficillime curentur. Passim occurrit in pedibus feminarum, quae laborum duritie corpus debilitarunt, v. c. in lotricibus, differt autem a consuetis pedum ulceribus, quae saepissime inveniuntur, et medicis aeque ac aegrotis summam parant molestiam. In tibiae integumentis communibus maxime efflorescit, et nunc erysipelatosa, nunc phlegmonodes, post breve temporis spatium in papulam transit, quae rumpitur, atque ichorosum fluidum edit, partes vicinas rodens, aream habet vel lividam vel purpuream, post levissimum contactum sanguinem effundit, paulo post cicatrice alba ac tenui obducitur, a levissima iniuria externa recrudescit, et in priorem statum redit, medicamentis localibus fortiter resistit, et cauto tantum internorum, constitutionem totius organismi emendantium, praesertim ieiunii usu vincitur.

Si forsitan quaerimus, cur in facie tantum et pectore malum apparuerit, nil nisi libera et perpetua aeris atmosphaerici accessio accusanda videtur, cui coniecturae tamen capitis tegumentum, quo feminae ruricolae uti solent, contradicit.

P r o g n o s i s non longam postulat expositionem, quoniam quilibet intelligit, et foeditatem et molestiam morbi magis, quam ipsius lethalitatem, dolendam esse. Cum enim in hac tanta miseria omnium omnino corporis functionum, quin imo sensuum incolumitas hactenus remanserit, sperandum est, fore, ut per longum adhuc tempus vita conservetur, nisi forte iniuriae externae accedunt, quae efficiant, ut morbus ab organo cutaneo ad partes internas nobilioresque, e. c. cerebrum, recedat, et sive gravissima mala sive mortem ipsam repentinam pariat.

Si verum est, quod non solum medici, sed prae ceteris philosophi uti primarium atque bene stabilitum praeceptum uno ore profitentur, „restante causa effectum tolli non posse;“ nemo certe negabit, spem huic aegrotae sanitatem restituendi in hac tanta diagnoseos et aetiologiae ambiguitate admodum esse exiguam. Etenim cum iam per annorum seriem ipsius curatio diversissimis viis fere frustra sit tentata, nil superesse

videtur, quam periculum cum ieiunio, iam antea non absque fructu in usum vocato, atque fumigationibus sulphuricis instituendum. Quae vero remedia sane heroica non sine domicilii mutatione ac tantum in nosocomio locum habere posse, experientia iam dudum probavit, quod consilium autem aegrota, qualiscunque omnino auxilii medici pertaesa, pariter ac maritus fortiter et constanter recusat. Quae cum ita sint, summa opera adhibenda est, ut miseria aegrotae medicamentis consopientibus anodynisque, quantum fieri possit, leniatur atque tolerabilis reddatur.

Lipsiae Typis *Polzianis* impressum.